3

DE IEIVNIIS ET VARIA EORVM APVD ANTIQVOS OBSERVANTIA.

AVCTORE
F. ALFONSO CIACONE
BIACENSE ORD. PRÆD. DOCT. THEOLOGO,
ET PAENITENTIARIO APOST.

AD ILLVTRISS. ET REVERENDISS. D. D.
CYNTHIVM ALDOBRANDINVM
S. R. E. CARD. AMPLISS.

ET S. D. N. CLEMENTIS VIII.
NEPOTEM.



BIBLIOTECA N. C. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ,
Apud Stephanum Paulinum MDIC.
Superiorum Permiſſu.

Librum de Priſcis ieiunijs, eorumq. origine, obſeruantiā, & ritu, auctore Fr. Alfonſo Ciacone Ordinis Prædicatorum Doctore Theologo, & Pęnitentiario, ex commiſſione Reuerendiſſ. Magiſtri Sacri Palatij legi, nihilq. in eo Fidei Catholicę diſſonum, aut bonis moribus repugnans inueni: imò dignum cenſeo eſſe, vt in communem omnium commodum, & vtilitatem pręlo mandetur.

Fr. Michael Llot à Ribera Sacrę Theologię magiſter, Ordinis Prędicatorum.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. CYNTHIO ALDOBRANDINO

S. R. E. S. GEORGII CARD. AMPLISS.

ET S. D. N.

CLEMENTIS VIII.

NEPOTI.

ALFONSVS CIACONVS S. P. D.

CVM Gregorius XIV. paulò ante quam Pontifex renuntiaretur, Alfonſum Ciaconum Patruum meum humanitatis ergò, quod ſæpe ſolebat inuiſeret; multa de vario eodemq. nondum ſatis perſpecto ieiunandi ritu, deq. ieiuniorum origine, & ratione cum eo diſſeruit, ab eoq. etiam atque etiam contendit, vt aliquid in eam rem de ſuo promeret. Paruit Patruus meus, & qui ex antiquitatis tenebris ad res in lucem proferendas natus videbatur, Cardinalis hortatu, ſex & quadraginta dierum ſpatio breui hoc opuſculo, quidquid omnis de ieiunio loquuta eſt antiquitas fœliciter eſt cómplexus, in hoc cum multas, ac pene innumeras eius iam vita functi lucubrationes euoluerem bono meo incidi, ſubitoq. doctis hominibus legendum dedi, qui omnes vehementer mihi authores fuerunt, vt quamprimum in lucem ederem, id quod libentiſſime nunc facio, tibique Cardinali magno quaſi primitias quaſdam multis nominibus dico ſed illo maximè quod doctus es, & doctis places, quod enim doctus es æqua lance hominum ingenia, & ingeniorum partus, ac fructus pendis, atque iuſtus rerum æſtimator, præclare intelligis quid quiſque labore ſuo mereatur, quod doctis places ſane omnes

inuitas, vt ſuas lucubrationes nomini tuo euulgent. Neque verò hoc tibi vel auribus, do, vel ad populi captandos rumuſculos veritati affingo, loquor id quod res eſt. Pates enim totus quantus es omnibus doctis viris, verus Mœcenas, & domus tua litteratorum, atque eruditorum omnium eſt domicilium, & quod incredibile hac noſtra tempeſtate videtur vno, eodemq. tempore domi tuæ multo ſumptu, ſed incredibili humanitate, ac liberalitate alis magnos & Theologos, & Philoſophos, & Mathematicos, & Oratores, & Poetas, & Muſicos; vt prætercam minoris ordinis homines coſmographos, Pictores, Sculptores, Architectores, & id generis alios, hos menſæ tuæ quotidie adhibes, & ſi quid temporis à publicis occupationibus vacuum nanciſci potes, id totum ſumma cum tui nominis celebritate cum iſtis traducis. Eosq. tu perpetua quadã officiorũ ſerie foues, & beneficijs multis, ac magnis ornas, neque hæc ita obſcura ſunt, vt reformidare inuidulorũ reprehenſiones poſſint, aut non adeo præclara, vt apud exteras etiam nationes, tu Princeps Illuſtriſſimè, meritiſſimò eorum cauſa Mœcenas verus, non habearis. Quamquam tua etiam virtute, id magnopere fiat; tu enim, & loquentes iſtos non ſolum intelligis, ſed diſputationibus frequentiſſimè vrges, & acuis. Hi ſunt luſus, hęc oblectamenta; quibus animum non tam remittis, quam ad publicas curas ſuſtinendas fortiorem reddis, & alacriorem. Patere ergo libellum hunc præclariſſimo tuo nomine inſignitum invulgus emanare. Hoc enim ſat erit, vt omnium manibus feratur, & in ore omnium verſetur, dumque maiora; & tibi, & Auunculo tuo Pontifici Maximo paro, accipe hoc, quidquid eſt muneris, quaſi obſeruantiæ in te meæ locupletiſsimum teſtimonium hilari vultu, meq. quod facis amplitudine tua tuete. Vale.

INDEX CAPITVM

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

DE Ieiunio Quadrageſimæ. pagin. 1
De Ieiunio Quattuor temporum. 7
De Ieiunio quartę, & ſextę feriæ. 11
De Ieiunio Sabbathi. 12
De non ieiunandis diebus Dominicis, nec 50. ferijs, quę incidunt inter Paſcham, & Pentecoſten. 17
Ieiunia vigiliæ nuncupata. 19
De Ieiunijs in Kalendis Ianuarij. 22
De Ieiunio poſt Epiphaniam. 25
De Ieiunio Rogationum. 26
De Ieiunio ante Natiuitatem S. Io: Baptiſtæ. 28
De Ieiunio ante Natalem Domini Aduentus dicto, & quæ de illo à Maioribus tradita. 29
Ieiunium Aduentus fuerit ne aliquando ſub pręcepto Chriſtianis iniunctum. 31
An expediret nunc ieiunium Aduentus ſub præcept indicere vniuerſo populo. 35
Num expediat in Aduentu ſolis Clericis eſum carnium interdicere eiſque precipere, vt ſingulis eorum diebus ieiunent, an potius quarta, & ſexta feria tantum? 45
Ieiunij Religio per omnes ſemper mundi ſtatus celebris habita. 45
De mirandis piorum virorum, & fœminarum in leg. Eu. ieiunijs. 49
Quod noſtra ætate maxime ſit in ieiunior. obſeru. indultum. 53
Ieiun. vel in peccat. ſatisfactioné, vel carnis repreſsioné aſſumi. 57
Quod ieiunium in ſubſidium mortuorum celebrari poſsit. 61
Quod in grauibus negocijs inchoandis ieiun. premitti ſoleat. 62
Qui[illegible] indicere poſsint. 63
Legitimæ cauſæ ieiunium indicendi. 64
Diuerſa eſſe genera, & conditiones ieiuniorum. 67
Ieiunium morbis curandis, valetudiniq. conducere. 75
De Ieiunijs Hebræorum. 79
De Ieiunijs Grecorum. 70
De Ieiunijs Æthiopum ſub Chriſtiano degentium Imperatore. 80
De Ieiunijs Agarenorum. 81
De Ieiunijs Scytarum, ſeu Tartarorum. 82
De Ieiunijs Armenorum. 82
De aliarum gentium, & Hæreticorum Ieiunijs. 83
Hæreticorum placita contra ieiunia, & illorum impugnatio. 84

INDEX MATERIERVM
QVÆ IN HOC LIBELLO CONTINENTVR.

A

ADuentus ieiunium a quo, & quando inſtitutum. fol. 29.
Aduentus ieiunium an fuerit aliquando ſub præcepto Chriſtianorũ iniunctũ. 31
Aduentus ieiunium an expediret nũc ſub præcepto indicere vniuerſo populo. 35
Aethiopum ieiunia ſub Chriſtiano degentium Imperatore qualia. 80
Agarenorum ieiunia, quæ, & qualia. 81
Apoſtoli ieiunium præceperunt, ſed non ſtatuerunt dies, quibus ieiunãdum eſſet, & quibus non. 2
Armenorum ieiunia quæ. 82

B

BIrgittæ viduæ reuelatio circa ieiunia. 33

C

CAlliſtus Papa ieiunium quatuor temporum, quod ter in anno fiebat, auxit, vt fieret quater. 7
Chriſtus in eremo per quadraginta dies ieiunans nullum omnino cibũ ſumpſit 1
Cibus qua hora capiatur, quando ieiunatur. 5
in Cœmeteria abire orationis cauſa expleto ieiunio ſolebant veteres. 8

D

DEcima totius anni eſt Quadrageſimale ieiunium. 2
Dominicis diebus ieiunant Manichei. 17
Dominicis diebus ieiunandum non eſſe ſtatuerunt Sancti Patres, & quare. 17

F

FEriæ quartæ, & ſextæ ieiunium priſcis temporibus ſingulari religione ſeruabatur. 11
Ferijs 50. quæ incidunt inter Paſcham, & Pentecoſten non eſt ieiunandum, & quare. 17

G

GElaſius Papa ordinationes, ſeu conſecrationes miniſtrorum Eccleſiæ non niſi quatuor temporibus fieri vetuit. 10
Gentiles etiam obſeruant ieiunia 6
Gentilium ieiunia. 84
Genua flectere in oratione non ſolebãt priſci à feſto Paſchatis, vſque ad Pentecoſten 19. & ſeqq.
Græcorum ieiunia, qualia. 79

H

HEbræorum quatuor celebria ieiunia 9
Hebræorum ieiunia qualia. 79
Helias vt Iezabelis manus euaderet, quadraginta diebus in vnius cibi fortitudine ad Oreb montem Dei peruenit. 1
Hæreticorum ieiunia. 83
Hæreticorum placita contra ieiunia, & illorum impugnatio. 84
Hiſpani (Luſitanis exceptis) reſcuntur in ſabbathis, viſceribus, & inteſtinis, & extremitatibus quadrupedum animantium. 15
Hora capiendi cibum in ieiunio, qualis. 5

I

IAnuarij menſis ieiunia quando, & à quo inſtituta. 22
Ianuarij Kalendis feſta. 23
Ieiunia a quibus inſtituta 9
Ieiunium ab Apoſtolis fuit præceptum, ſed non fuit ad eis definitum, quibus diebus eſſet ieiunandũ, & quibus nõ. 2

Ieiu-

Ieiuniorum diuerſa genera, & conditiones. 67
Ieiunium indicendi cauſæ legitimæ, quales. 64
Ieiunia qui indicere poſſint. 63
Ieiunia obſeruata etiam a gentilibus. 6
Ieiunia vigiliæ nuncupata. 19. *vſque* 22
Ieiunium dum peragebatur in conuentu Eccleſiæ legebatur hiſtoria, & paſſio Iob. 8
Ieiunium in ſubſidium mortuorum celebrari poteſt. 61
Ieiunium vel in peccatorum ſatisfactionem, vel carnis repreſſionem aſſumitur. 57
Ieiuniũ requirit abſtinentiam à carnibus, à lacticinijs, caſeo, & ouis. 4
Ieiunium quando fit, qua hora capiatur cibus. 5
Ieiunio peracto vigiliæ celebrabantur. 8
Ieiunijs religio per omnes ſemper mundi ſtatus celebris habita. 48
Ieiunium præmitti ſolet in grauibus negotijs inchoandis. 62
Ieiunium morbis curandis, valetudinique conducere multis rationibus oſtenditur 75
Ieiunia ab hæreticis impugnata defenduntur. 84
Ieiuniorum obſeruantiæ maxime eſt indultum noſtra ætate. 33
Ieiunium quadraginta dierum trinum ex veteribus, & Euangelicis libris nobis imitandum proponitur. 1
Ieiunium quadraginta dierum bis à Moyſe obſeruatum, vt legem percipere mereretur. 1
Ieiunium quadraginta dierum obſeruauit Helias, vt Iezabelis manus euaderet, & in vnius cibi fortitudine ad Oreb montem Dei peruenit. 1
Ieiunium quadraginta dierum fecit Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Eremo, & nullum omnino cibum ſumpſit. 1
Ieiunium Chriſti quadraginta dierum in Eremo quid denotet. 1
Ieiunia, quæ præcedunt tempus Paſchale vario modo a diuerſis nationibus obſeruata. 3
Ieiunium Quadrageſimale à quo fuerit & quare inſtitutum. 2
Ieiunium Quadrageſimæ eſt quaſi decima totius anni. 2
Ieiunio Quadrageſimali addita fuit 1. *hebdomada à Teleſphoro Papa cum prius Quadrageſima conſtaret ex ſex tantum ſeptimanis.* 3
Ieiunium Quadrageſimæ quando incipiat Mediolanenſes. 4
Ieiunium Quadrageſimale quanta obſeruantia fuerit olim cuſtoditum. 5
Ieiunium non obſeruare in Quadrageſima peccatum eſt. 6
Ieiunium magnum ſolum Quadrageſima dicebatur. 6
Ieiunium obſeruant diebus Dominicis Manichei. 17
Ieiunium Sabbathi, quibus rationibus fuerit inſtitutum. 14
Ieiunium in Sabbatho, quare olim nõ erat licitum. 13
Ieiunium ſingulis Sabbathis obſeruandum ſtatuit Innocentius primus Pontif. 13
de Ieiunio Sabbathi olim ſatis controuerſum fuit inter Romanos, & Græcos. 12
Ieiunium Sabbathi Orientales non recepe runt ſicuti nec etiam Mediolanenſes tẽpore S. Ambroſij. 15
Ieiunium Rogationum à quo inſtitutũ. 26
Ieiunia in Kalendis Ianuarij quando, & à quo inſtituta. 22
Ieiunium ante natiuitatem S. Ioannis Baptiſtæ à quo inſtitutũ. 28
Ieiunium Adu. à quo, & quando inſt. 29.

Ieiu-

Ieiunium poſt Epiphaniam à quo inſtitutum, & à quibus obſeruetur. 25
Ieiunia, quæ in hebdomada Pentecoſtes incidebant quomodo obſeruata tempore S. Thomæ. 10
Ieiunium exultationis dicitur vigilia Pẽtecoſtes. 10
Ieiunia trium temporum à Sanctis Apoſtolis inſtituta. 9. & 10
Ieiunij quatuor temporum ratio, & miſterium. 7
Ieiunia admiranda piorum virorum, & feminarum in lege Euangelica. 49
Ieiunia multarum gentium, & hæretic. 83
Ieiunia Scytarum, ſeu Tartarorum quæ & qualia. 82
Ieiunia Aethiopum ſub Chriſtiano degentium Imperatore qualia. 80

L

Litaniæ à quo inſtitutæ, 26. & 27

M

MAnichei obſeruant ieiunium diebus Dominicis.
Mediolanenſes quando incipiant ieiuniũ Quadrageſimæ. 4
Mediolanenſes non ſolebant ieiunare in tempore S. Ambroſii. 15
Moyſes vt legem percipere mereretur bis quadraginta dierum numerum ieiunauit. 1

O

ORare non niſi ſtantes obſeruatum fuit à priſcis à feſto Paſchatis, vſque ad Pentecoſten. 19. & ſeq.
Ordinationes, ſeu conſecrationes miniſtrorum Eccleſiæ non niſi quatuor temporibus fieri ſtatuit Gelaſius Papa. 10
Orientales non receperunt ieiunium Sabbathi, ſicuti nec etiam Mediolanenſes tempore S. Ambroſii. 15

P

Paſcha ieiunium præcedens vario, ac diuerſo modo à diuerſis nationibus obſeruatum. 3
Pentecoſtes vigilia ieiunium exultationis dicitur. 10

Q

QVadrageſima cum prius conſtaret tantum ex ſex ſeptimanis Theleſphorus Papa addidit ſeptimam. 3
Quadrageſimale ieiunium quanta obſeruantia fuerit cuſtoditum. 5
Quattuor temporum ieiunijs ratio, ac miſterium. 7
Quatuor temporum ieiunium ſecundum locum tenet poſt Quadrageſimam. 7

R

Rogationum ieiunium à quo inſtitutũ 26.
Rogationes quæ ſint, & à quo inſtitut. 26

S

SAbbathi ieiunium, quibus rationibus fuerit inſtitutum. 14
Sabbatho ieiunare excepto Sabbatho ſancto quare olim non erat licitum. 13
Sabbathis abſtinetur ab eſu carnium, niſi occurrerit in die Sabbathi natale Domini Ieſu Chriſto. 16
Stationes militares vnde dictæ. 19
Stationes quæ ſingulis diebus Quadrageſimæ fiunt vnde dictæ. 20

T

Tartarorum ſeu Scytarum ieiunia, qua & qualia. 82

Vigiliæ quomodo fiebant à priſcis. 20
Vigiliæ hodie ieiunia nuncupata. 19. vſque 22.
Vigiliæ ſunt numero tredecim. 21

FINIS.

DE IEIVNIO
QVADRAGESIMÆ.

INTER Eccleſiaſtica ieiunia fidelibus indicta celeberrimum eſt Quadrageſimale, quod Reſurrectionem Chriſti præcedit, per totum Chriſtianum orbem annunciatum, quod non tam ab hominibus, quàm à Deo ipſo conſecratum, & præceptum fuiſſe nonnulli cenſent, inter quos Maximus Epiſcopus Taurinenſis in ſermone priori in die Cinerum, qui à multis creditur eſſe Ambroſij. Alij rectius à Sanctis Apoſtolis fuiſſe promulgatum aſſeuerant. Canon extat Apoſtolorum his verbis conſcriptus: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Lector, aut Cantor ſacram Quadrageſimam Paſchæ, aut quartam feriam, aut Paraſceuem non ieiunauerit deponitor; præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis; ſin laicus ſit cõmunione priuator. Idem ſentit Clemens Petri in Pontificatu ſucceſſor, & Ignatius tertius, poſt Petrum, Antiochenus Epiſcopus, ac Origenes, & Hieronymus ad Marcellam, ieiunium Quadrageſimæ Apoſtolorum traditionem eſſe docentes. Et Ambroſius ſermone 39. S. Leo Papa 1. à Sanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritus Sancti maiora aſſerit ordinata ieiunia: atque alibi Apoſtolicam inſtitutionem ieiunium 40. dierum vocat. Ireneus aduerſus hæreſes, ingluuiei arguit illos, qui nullum ſeruaret pro traditione Apoſtolica ciborum delectum. Conſtat igitur ex ſententijs Sanctorum Patrum ieiunium Quadrageſimæ eſſe in Eccleſia antiquiſſimum ad imitationem Moyſi, & Heliæ, atque Chriſti à Sanctis Apoſtolis inſtitutum, Moyſi quidem ante legem, Heliæ ſub lege, Chriſti poſt legem. Ex veteribus, & Euangelicis libris, trinum 40. dierum ieiuniũ nobis imitandum proponitur. Moyſes namque, vt legem percipere mereretur, bis quadraginta dierum numerum ieiunauit. Heſias, vt Iezabelis manus euaderet, quadraginta diebus in vnius cibi fortitudine ad Oreb montem Dei peruenit.

Maxim. Epiſcopus Taurinenſis.

Canon Apoſ. 68. Clemens lib. 5. Apoſtol. conſt. c. 14.

Igna. ep. 8. ad ad Phil.

S. Leo PP. ſer. 6. & 9. de Quadrageſ.

Iren. aduerſ. hæreſes lib. 1.

Exod. 34. 3. Reg. 19. Matth. 4.

Dominus, ac Redemptor noſter Ieſus Chriſtus per 40. dies in eremo ieiunans, nullum omnino cibũ ſumpſit; in quo vnico ieiunio, & legis latæ, & vaticinij diuini, & vitæ Chriſti recordatio, & memoria perennis continetur, & demonſtratio, Euãgelium à lege, & Prophetis haud diſſidere. Chriſtiani autem, qui à Chriſto nomẽ ducimus, & ipſum tamquam noſtrum magiſtrum, præceptorem, &

ducem imitamus. Iniquum eſſet ea in parte deſerere, quem authorem, & inſtitutorem huius ieiunij credimus. At citra hanc imitationem, & reconditum in numero quadragenario myſterium. Maiores alia etiam cauſa permouit huius ſacri conſtituendi ieiunij. Præceptum inquam de Decimis perſoluendis, quas non ſolum de pecoribus, frumento, & leguminibus (vt olim) ſed etiam de tempore, quo Dei dono viuimus, paſcimur, & ſeruamur, reddere excogitarunt. Cum autem Annus per 365. dies voluatur, triginta ſex diebus ieiunij decimas perſoluimus anni, quod deductis ſex Dominicis, quibus non ieiunamus, totidem ſuperſint ieiunij dies, quibus huiuſmodi decimæ perſoluuntur. Nam quatuor reliqui ieiunij dies, qui à Cineribus primam Dominicam Quadrageſimæ antecedunt, ideo adiecti, vt quadraginta dierum numerus conſtaret, quo vnico, & eodem ieiunio, & decimas anni perſoluere, & Chriſti ieiunium imitari poſſemus. Cui ſententiæ ſubſcribunt Auguſtinus, Gregorius, Iſidorus, Caſsianus, Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus (ex Abbatis Theonæ ſententia) & Dorotheus, & Sanctus Thomas. Quod autem Auguſtinus dicit in Euangelicis, & Apoſtolicis libris toto inſtrumento (quod appellatur nouum Teſtamentum, id reuoluens videre præceptum eſſe ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat præceptum Domini, vel Apoſtolorum non videre definitum. Hæc Auguſtinus Epiſtola 86. ad Caſulanum & libro de ieiunio dici Sabbathi. Qui quam rectiſſime ſentit in ea re, Præceptum quidem in libris noui Teſtamenti, ieiunium, tempus autem in quo debeat ſigillatim fieri non inibi definiri. Nec ideo negit quin, per traditiones Apoſtolicas, id certis diebus præſcribi, & imponi plebi Chriſtianæ potuiſſe, ſed hoc ex libris Canonicis noui Teſtamenti haud conſtare.

Quod ſi Canones Apoſtolorum, & ſcripta Clementis, ſeu Apocrypha in huius rei teſtimonium refellantur. Satis nobis erit Sancti Ignatij ad Philippenſes aſſertio, quibus ieiunium Quadrageſimæ commendat, quaſi Apoſtolici Petri inſtituti, a quo inſtructi fuerant prius, & in religione edocti. Quod ſi quis nobis objciat, ex Pontificali Damaſi conſtare (ſi tamen Damaſi legitimæ ſunt, quæ ipſius nomine circumferuntur Pontificum vitæ) Teleſphorum Papam, qui nonus à Beato Petro Eccleſiæ Dei præfuit, Quadrageſimam inſtituiſſe.

Exodi 22.

76. diſt. c. ſtatuimus & duobus ſequent. & de conſec. diſt. 1. c. ſoles & diſt. 5. c. Quadrageſima, & c. ieiunium.

Auguſt. libr. de Doctrina Chriſtiana. Greg. hom. 6. in Euang. Caſſianus collog. 21. c. 25. & ſequent. Dorotheus ſermon. 18. de ieiunio. Iſid. de Eccl. off. lib. 1. c. 36. Auguſt. epiſt. 86. ad Caſul. & lib. de ieiunio dici Sabbathi. S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 5.

Ignatius epi. 8. ad Philip. Damaſus in vita Theleſp. PP.

Ignat. epiſt. 8 ad Philippeſ.

Damaſus in vita Teleſphori PP.

tuiſſe. Quod & Carolus Imperator ad Albinum Abbatem Præceptorem ſuum in Epiſtola quadam ſcribit, & Amalarius, & multi plerique alij ex eodem Damaſo confirmant.

Amalarius lib. 1. Eccleſ. officiorum.

Verum animaduertere ij debuiſſent à Damaſo nunquam aſſertum Teleſphorum Papam Quadrageſimam inſtituiſſe, ſed ieiunium ſeptem hebdomadarum integrarum ante Paſcha præmittendum duntaxat ordinaſſe. Quadrageſima namque ſex ſeptimanas habebat, addidit Teleſphorus vnam hebdomadam, & vocatum fuit hoc tempus quinquageſima, ſicut in decretis Gratiani habetur. Non igitur fuit Teleſphorus Quadrageſimæ inſtitutor, ſed veteris præcepti Apoſtolici renouator, vt per ſeptem hebdomadas integras conuenientius fieret, quod ad ſex populus Chriſtianus contraxerat. Nicephorus namque annotatum reliquit ieiunia, quæ præcedunt tempus Paſchale, vario fuiſſe more ſeruata. Romanos enim tres hebdomadas continuas, Sabbatis, & diebus Dominicis exceptis, ieiunaſſe. Illyricum autem, & cunctam Græciam, præterea Alexandriam, & Lybiam omnem, Ægyptum, & Palæſtinam ſex hebdomadibus ante feſtum feſtum Paſchale, ieiunium continuaſſe. Alij rurſum ante ſeptem hebdomadas ieiunare incepiſſe, ſicut Conſtantinopoli, & circumcirca ad Phæniciam vſque. Hanc forte etiam temporis diſſonantiam in concordiam redigendam curauit Teleſphorus, vt omnes vnanimes idem complecterentur ieiunij tempus, ne contingeret per idem alios ieiunijs exerceri, alios conuiuijs vacare, hos in luctu, & mœrore eſſe, illos hilariter feriari. Fuit autem hæc ieiunij Quadrageſimalis veluti reformatio à Teleſphoro facta circa annum Domini 135. Verum licet à quarta feria Cinerum populus ieiunium inciperet, non potuit omnino induci, vt ferias ſecundam, & tertiam antecedentes ieiunaret, quod citra numerum quadrageſimalem adiectæ viderentur, decreto Teleſphori per contrariam conſuetudinem abrogato.

De Conſecratione diſt. 4. c. quadrageſima.

Ambroſius etenim videns Laicos non libenter ſuſcepturos huiuſmodi onus, & detrectaturos etiam, qui nec illam hebdomadam à Teleſphoro adiectam intra ieiunium admittebant, ad Præsbyteros, & Clerum eam obſeruantiam contraxit, annis fermè poſt 238. (vt Gratianus in decretis meminit) ſtatuimus, inquiens, vt ſeptem hebdomadas plenas

Ambr. in ſermon Sexa. & habetur diſt. 4. c. iv. ſtatuimus.

ante ſanctum Paſcha omnes clerici in ſortem Domini vocati à car ne ieiunent; quia ſicut diſcreta debet eſſe vita clericorum à laicorum conuerſatione, ita & in ieiunio debet eſſe diſcretio. Eandem conſtitutionem Gregorius Magnus 230. circiter annos poſt, in reſcripto ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopũ (quod eſt à Gratiano in Decretis collectum) veluti abolitam ſuſcitauit. Vt Sacerdotes, Diaconi, & reliqui Eccleſiaſtici à Quinquageſima propoſitum ieiunandi ſuſcipiant, quo & aliquid ad penſum ſanctæ inſtitutionis adijciant, & eorum, qui in laicali ordine conſiſtunt, obſeruantiam, ſicut loco, ita religione præcellant. Hæc autem ieiunij obſeruãtia, quoad primos duos dies hebdomadæ Quinquageſimę à ſecularib[us] presbyteris, & clericis deſerta, à ſolis regularibus hodie retinetur, qui feria 2. Quinquageſimæ ieiunium Quadrageſimale incipiunt: quamquam Concil. poſtea Aurelianenſe primum c. 26. ſacerdotibus omnibus eſſe decretum declarauit, vt ante Paſchæ ſolemnitatem non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneretur. Non ſolum autem de dierum numero, verum etiam de cibis ipſis multum diſſidij olim interceſſit. (vt Nicephorus refert) Quidam enim animata prorſus non attingebant. Alij autem attingebant, ſed piſces ſolos: ſunt, qui animantia quoque, & cum piſcibus etiã volatilia deguſtabant, ex aquis ea quoque progenita eſſe, vt Moſes inquit, dicentes; nonnulli ab ouis abſtinebant: nonnulli vero arborum fructibus veſcebantur: quidam tantum panem ſiccum comedebant: quidam vero, neque hunc quidem attingebant. Et Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ c. 33. Ieiunia, inquit, prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſitatiſſimum, ſed continuum triduũ, vel amplius, ſæpiſſime ſine cibo, ac potu ducere, neque hoc in viris tantum, ſed etiam in multis feminis, viduis, ac virginibus. Et Nicephorus l. 14. c. 50. de Monachis loquens, ait: Labore ſe ipſos ita conficiunt, vt viuentes adhuc ſuper terram mortuos prorſus eſſe dicas, ij ſæpius in biduum, & triduum ieiunium proferunt: ſunt, qui diebus quinque, & longius cibum non attingunt, eumq. tandem neceſſitate vrgente multa, ſumunt, quidem cum parſimonia.

de conſe. diſt. iv. c. Quadrageſima.

de conſe. diſt. 3. c. ſacerdotibus.

Niceph. l. 12. cap. 34.

Aug. de moribus Eccleſiæ c. 33.

Nic. lib. xiv. c. 50. de Monachis.

Abſtinentia à carnibus in ieiunio vtique eſt neceſſaria, adeo, vt ieiunij ratio, ne vtiquam conſtare poſſit, ſi carnes edantur, lactis, caſei, & ouorum vſum Gregorius Magnus peculiari decreto interdixit, quod ab animantibus eſſent producta, quorum carnibus veſci prohibemur (vt in decretis idem Gratianus meminit) in alijs namque ieiunijs vſus lactis, caſei, & ouorum conceſſus, & ſolum à carnibus abſtinendum (ſicut S. Thomas teſtatur) niſi conſuetudo loci aduerſetur.

de conſe. diſt. iv. c. Quadrageſima.

S. Tho. 2. 2. q. 147. art. 8.

Diuer-

Diuerſum etiam fuit cibi capiendi tempus,aliqui namque hora nona,aliqui poſt occaſum ſolis; quidam poſt diem vnum, ſequenti die cibum capiebant,nonnulli verò ad tres,ad quatuor,ad quinque,& ad ſeptem vſque dies dapibus abſtinentes procedebant,pro eo,atque quiſque cibo carere,vel volebat,vel poterat: ſed receptũ fuit tandem vniuerſim ab omnibus, vt hora 9. in qua Chriſtus in Cruce expirauit,cibꝰ,& nõ ante in die ieiunij ſumeretur,(quod ſeculo etiã B.Thomæ ita obſeruabatur, vt tribus poſt meridiẽ horis ieiunantes veſcerentur,vt ipſe teſtatur in ſuis ſcriptis) vt mirum ſit 320.annorum tempore,ex quo Sanctus vita migrauit, tantam interim varietatem,& relaxationem ſubſequutam, vt pauci vſque ad meridiem ieiunium extendant,& ferè omnes,eam horam anticipent,& futurum eo progreſſu,vt tres horæ quæ meridiem ſequebantur,aliquando magno cum ieiunij diſpendio præcedant.

Fuit autem tanta olim obſeruantia Quadrageſimale ieiunium cuſtoditum,vt Nicephorus tradiderit lib. 17.c.32. quod cũ fames Byzantij increbuiſſet rerum neceſſariarum inopia, Imperator Iuſtinianus ſecunda ſtatim ieiunij hebdomade carnes,in foro venales proponendas promulgauit, & hoc quidem ſic per vim actum, populus autem,qui pietatem ſibi conſectandam ſtatuiſſet, neque eas emebat,neque edebat,mortem potius adeundam eſſe cenſens,quã vt quicquam de patrijs moribus,& traditionibus mutaret. Tanta præterea parſimonia adhibita in Quadrageſimę ieiunio celebrando,vt Clemens Romanus ſolo pane,ſale,atque oleribus vti concedat,carne autem,& vino abſtinere diebus ieiuniorum, & eiuſdem libri c.21.idem pluribus ſacrarum litterarũ locis confirmet. Huius rei praxim in B. Petri conuerſatione lib.7. recognitionum adfert,qui laborioſis illis ſuis peregrinationibus, pane ſolo,cum oliuis,& raro oleribus fatiſcẽs corpus reficiebat. Notę ſunt omnibus fortiſſimorũ Martyrum (Seuero imperante) iſtæ præclaræ voces: Multum erratis,ò viri,putantes humanis viſceribus veſci eos,qui, ne mutorum quidem animalium carnibus vtuntur. Euſebio referente. Tum temporis ſcribens contra Pſychicos Tertullianus, Xerophagias diebus ieiunij obſeruatas fuiſſe aſſerit, ſiccato cibo ab omni carne,& iurulentia. Et libro de cultu mulierum, quaſdam creaturas Dei ſibi interdicere abſtinentes vino,& animalibus Hieronymus dicit.Paulum palmæ fructibus, & Hilarionẽ paucis maſſæ caricis perpetuo victitaſſe. Athanaſius,& Baſilius lib. de virginitate,leguminibus,pane, & oleo paucis nonnumquam adhibitis oluſculis,ieiunijs carnem ſpiritui ſeruire cogebant. Vt hinc quantum noſtra ætas ab illa antiqua parſimonia degenerarit,quamquã imperfecta ſint noſtra ieiunia, ſi ad illorum normam conferamus,

Euſ.l. 5. hiſt. cap.1.

Xerophagia eſt rerum aridarum comeſtio,ut ficuum, nucũ, amygdalarũ cariotarum, uuarum paſſarum, & oliuarum,uel ſimilium.

vide-

videre licebit. Certe inter omnia, magnum ieiunium, ſolum Quadrageſima dicebatur, quæ velut caput, princeps, & initium omnium aliorum videatur. Auguſtinus tradit, ſolum illud ſub præcepto &. lætalis reatus penâ ſuo tempore obligaſſe, cum ait Rogo vos fratres chariſsimi, & admoneo, vt in iſto legitimo, & ſacratiſsimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præſumat, niſi forte ille, quem ieiunare infirmitas non permittit: quia alijs diebus ieiunare remedium eſt, aut præmium. in Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt. Alio tempore qui ieiunat accipit indulgentiam, in Quadrageſima qui non ieiunat ſentiet pœnã Non deſunt, epicuri, & guloſiſsimi helluones, quorũ Deus venter eſt qui vitam hanc ſibi vitalem eſſe non putant, niſi quotidie vino ſe ingurgitent, niſi quotidie ventrem ſuũ carnibus fartiant, qui ſicut à Propheta ſcriptũ eſt. mane ſurgunt ad ebrietatem ſectandam, & potandũ vſq; ad veſperam, vt vino æſtuent, cytara, & lyra, & tympanũ, & tibia & vinum in conuiuijs eorum. Non potuerunt hoc ferre piæ, matris noſtræ viſcera, nullius rei præterquam ſalutis noſtræ auaræ, quin illos quos ita videbat epulis vino & luxuriæ ſe totos tradidiſſe quibuſcumque potuit rationibus ad officium reducendos, & legibus ad abſtinentiam, & ſobrietatem adigendos eſſe putauit; Peſsimi tamen Nebulones, & Sycophantæ hoc noſtro ſeculo ex Tartari anfractibus emerſerunt, qui inſtitutum ieiunij ſacroſanctum ad pietatem nihil facere arbitrantur, totque ſacrilegis ſcriptis in ſanctos mores inuecti noſtram hãc qualemcumque viuendi temperantiam nihil antiquum ſapere contendunt, muliercularumque ſuperſtitiones eſſe, cum tamen & illi ipſi veteres, qui nondum veritatis lumine fuerant irradiati ieiunia, tam multis cæremonijs indixerint, præcipue vero Romani ieiunia Cereri feruntur inſtituiſſe M. Acilio Glabrione, P. Scipione Coss. poſt victum Antiochum Syriæ Regem, vt prætereamus ſanctiſsima tot noſtræ pietatis Collegia, quæ vt ſanctius, atque caſtius Deo famulentur, perpetuo ſibi carnium vſu interdixere. Diximus de Quadrageſimæ ieiunij, origine, inſtitutione, & vſu. Reliquum eſt, vt ad alia ieiunia deſcribenda propeɾemus.

Auguſtinus de præſenti ſermone lxij.

Iſaiæ v.

DE IE-

DE IEIVNIO

QVATVOR TEMPORVM

DICTO.

POST Quadrageſimam, ſecundum locum tenet ieiunium, quatuor temporum dictum, & ipſum vetuſtum cum primis. Quod cùm aliquando ter in anno celebratum fuiſſet, viſum eſt ante mille trecentum, & amplius annos, s. Calliſto Papa 1. vt quater quot annis celebraretur, Vere, Æſtate, Autumno, & Hyeme, Epiſt. 1. ad Benedictum Epiſcopum. Ieiunium, inquiens, quod ter in anno apud nos celebrare didiciſti, conuenientius nunc per quatuor tẽpora fieri decreuimus, vt ſicut annus per quatuor voluitur tempora, ſic & nos quaternum ſolemne agamus ieiunium per anni quatuor tempora. Quod Calliſti inſtitutum refertur à Gratiano inter ſua decreta. Agebatur ante Calliſtum hoc ieiunium per tria duntaxat anni tempora, ſcilicet menſe quarto, ſeptimo, & decimo; hoc eſt Iunio, Septembri, & Decembri, propter fructuum terræ abundantiam, iuxta Prophetiam Zachariæ. Ieiunium quarti, ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi, quia ſicut replemur a Domino per Iunium frumento, per Septembrem vino, per Decembrem oleo ad alenda corpora, ſic repleamur ieiunio ad alendas animas. Viſum eſt autem Calliſto ſanctiſsimo Pontifici, & Martyri, patria Romano, perſolui quidem ieiunia pro Æſtate Autumnò, & Hyeme, deſici tamen in reddendo ſimile obſequium Deo in Vere, ideo ieiunium Veris inſtituit menſe Martio celebrandum. Poſt ſeptennium deinde Vrbanus Papa primus in Concilio Placentino capit. decimoquinto, decretum Calliſti anteceſſoris ſui renouauit, in hæc verba. Statuimus etiam, vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur, primum in initio Quadrageſimæ, ſecundum in hebdomada Pentecoſtes, tertium vero in Septembri, quartum in Decembri more ſolito fiat, in quo diſtinctionem temporum explicuit, in quibus ſingula deberent ieiunia celebrari. Hoc idem denuò ſtatuit Concilium Moguntinum primum, capite trigeſimo quarto. Conſtituimus, inquiens, vt quatuor tempora anni ab omnibus communi ieiunio obſeruentur. Gelaſius præterea Papa 1. Afer, anno circiter Domini 496. Ordinationes fieri quatuor temporibus conſtituit, in quibus vetus Eccleſiæ

Diſt. 76. c. 1. Ieiuniũ quod

Zachar. c. 8

Diſt. 76. c. 4

mos

mos obſeruatur, quarti menſis ieiunio, ſeptimi, & decimi. Quartum autem menſem vocat Gelaſius Iunium, in quem ferè Sabbatum Penthecoſtes incidit. Veteres enim annum à Martio auſpicabantur, Septembrem quia ſeptimus à Martio, ſicut Decembrem, quod decimus ita appellabant. Exiſtimatum eſt Dei præceptum, de perſoluendis Deo primitijs hoc ieiunio quadantenus impleri. Nam cum quatuor ſint anni tempora, & in quolibet tres menſes, nos in initio cuiusq. tres dies ad gloriam Trinitatis ieiunamus; atque ita cuiuslibet primitias Deo perſoluimus, non aliter quàm decimas totius anni quadrageſima, compenſamus, & fiunt veluti expiatio temporis, quo liberalitate diuina, vita fruimur, & cibo donamur. Cùm enim nobis ſemper ieiunandum ſine intermiſsione ſit, & orandum, datum eſt hoc fragilitati noſtræ, vt quod ſemper facere non poſſumus, certis tamen temporibus faciamus: & decimis veluti, & primitijs temporis perſolutis, reliquum in priuatos vſus redimamus. Ieiunabatur autem in ſingulis temporibus feria quarta, ſexta, & Sabbato; quo & orationibus, & vigilijs ſacerrimo in templo Populus Chriſtianus vacabat. Sicut & Romæ, vbi expleto ieiunio, vigiliæ huiuſmodi, intra Baſilicam ſancti Petri agebantur. Sanctus namque Leo Papa 1. abſolutis ieiunijs quartę, & ſextæ feriæ, ad vigilias, & orationem in Baſilica S. Petri Chriſtianam plebem, legimus in plurimis eius ſermonibus, inuitaſſe. Simile quiddam Athanaſius in apologia de fuga viſus eſt ſignificare, cum ait. In hebdomade poſt ſacram Penthecoſtem, populus completis ieiunijs, ad orandum in Cœmeterium abijt. Interim dum ſolemne ieiunium iſtud agebatur, in conuentu Eccleſiæ publicè legebatur hiſtoria, & paſsio Iob, vt eius laboribus, & ærumnis perceptis, fideles ieiunij, & vigiliarum moleſtias facilius tolerarent. Quod & Origenes docuit commentariorum in Iob lib. 1. Sanctus Leo Papa 1. ſermone 2. de Penthecoſte, & alijs, quos de his ieiunijs quatuor temporum plurimos edidit, tradit, ieiunia à Sanctis Apoſtolis conſtituta, quæ Iunio, Septembri, & Decembri ſolennia habentur (nam quæ Martio celebrantur, ex Calliſti Papæ ordinatione adiecta fuere) ad Euangelicamque legem ex veteri tranſlata fuiſſe, vt quæ dudum fuerant conſuetudinis Iudaicæ, fierent obſeruantiæ deinceps Chriſtianæ. Et addit, quod ceſſantibus ſignificationibus, quibus Saluatoris noſtri nunciabatur aduentus, & peractis figuris, quas abſtulit ipſa præſentia veritatis, ea, quæ vel ad regulas morum, vel ad ſimplicem Dei cultum ratio pietatis inſtituit, in eadem apud nos forma, in qua ſunt condita perſeuerare, & quę vtrique teſtamento eſſent congrua, nulla fore commutatione variata. Ex ijs autem dicit eſſe ſolemne decimi mẽſis ieiunium,

S. Leo PP. in ſerm. iv. de Ieiunio x. mẽſis, & vij. & viij. de ieiunio ſeptimi menſis.

quod

quod à nobis annua conſuetudine celebratur. Et alibi, ait. Quamuis varietas hoſtiarum, differentia baptiſmatum, & otia Sabbathorum, cum ipſa carnis circumciſione ceſſauerint, manent tamen ex ipſis voluminibus, & apud nos multa pręcepta moralia. Et quamuis S. Leo veteris inſtrumenti locos non expreſſerit, à quibus ipſa ieiunia nobis ſunt deriuata, in Zacharię propheticis ſcriptis videntur contineri. In ſeptimo namque capite mentio fit de ieiunio quinti, & ſeptimi menſis, cum planctu, & mœrore celebrato ante annos ſeptuaginta. Et capit. 8. Quatuor celebria ieiunia Hebræorum memorãtur in hæc verba. Hæc dicit Dominus exercituũ ieiuniũ 4. & ieiunium 5. & ieiunium 7. & ieiuniũ 10. ſcilicet menſis erit domui Iudæ in gaudium, & in lætitiam, & in ſolemnitates præclaras. Hæc autem ieiunia celebrabãtur à Iudæis, menſibus Iunio, Iulio, Septembri, & Decembri, ob calamitates, & aduerſa, quæ illis temporibus ipſis contigere. Quarto enim menſe vitulus conflatus, & pro Deo cultus, Moyſes tabulas legis confregit. In quinto in ſeditionem populus verſus aduerſus Moyſem, & exploratores terræ promiſſæ, Caleb, & Ioſue tumultuatus eſt: templum à Nabuchodonoſore euerſum, & multis poſt ſeculis à Tito Veſpaſiano Romano Principe incenſum, captaquę vrbs fuit. Decimo; populus Hebræorum reſciuit, quinto ante menſe templum à Nabuchodonoſore fuiſſe excißum, vt diffuſius s. Hieronymus in Commentarijs ad Zachariam annotauit, ex narrationibus Hebręorum. Addit præterea s. Leo Papa in ſermon. 8. de ieiunio ſeptimi menſis, & in 2. de ieiunio Pentecoſtes ieiunia Pentecoſtes 7. & 10. menſis à ſanctis Apoſtolis fuiſſe primùm conſtituta, ab illiſque hanc in populum Chriſtianum obſeruantiam emanaſſe, ad imitationem ieiuniorũ, quæ ab Hebręis antea celebrabantur. Potuit profectò doctiſſimus, & eruditiſſimus Pontifex optimè callere illa tria ieiunia ab Apoſtolis ipſis fuiſſe conſtituta, quod vixerit poſt martyrium Petri anno 380. & tunc notæ eſſent ordinationes, & decreta Pontificum 44. qui eum præceſſerant, cumque à nullo illorum inſtituta comperiſſet, neceſſariò erant in Apoſtolos reducenda. Nullus enim præter illos, & Pontifices Romanos, auctoritatem habuerunt, vt poſſent toti Chriſtiano orbi ea publicè ieiunia obſeruanda indicere, aut imperare. Qua etiam via deprehendi poteſt, ieiunium Quadrageſimæ ab iiſdem Apoſtolis conſtitutum. Quod Teleſphorus, ix. à Petro, Pontifex Romanus, qui tempus auxit ieiunij, nullam alicuius Pontificum prædeceſſorum ſuorum, eius originem prodat. Apoſtolos autem non video per omnia Hebræorum ieiunia imitatos, qui nullam in quinto menſe abſtinentiam iniunxerint, neque quatuor, ſed trium tantum temporum ieiunia indixerint,

& potius cenſeo reſpexiſſe illos ad fructuum præcipuorum collectionem, quæ vitæ hominum ſuſtentandæ magis neceſſaria ſunt, frumenti in Iunio, vini in Septembri, olei in Decembri: & ad myſteriũ trium perſonarum diuinarum excolendum, Patris in Septembri, in cuius menſis initio orbem cõdidit, Filij in Decembri, in quo de Virgine naſci dignatus eſt, factus homo, Spiritus Sãcti in Iunio, in quo ſuper Apoſtolos, & Diſcipulos Chriſti linguis igneis ſe effudit. Quo ſimul Chriſtianus populus ſingulas perſonas diuinas veneraretur, & beneficia per hæc tempora ab ipſis ſuſcepta, more humano recoleret, ac gratificaretur. Ieiunia igitur, ſicut & Quadrageſimæ, ita & trium temporum, Iunij, Septembris, & Decembris à Sanctis Apoſtolis inſtituta; quartum à Calliſto Pontifice menſe Martio adiectũ anno circiter poſt Petri martyrium 150. & Natiuitatis Chriſti 218 Gelaſius autem anno poſt 276. ordinationes, ſeu conſecrationes miniſtrorum Eccleſiæ, non niſi iſtis quatuor temporibus fieri vetuit, vt populus Chriſtianus ieiunio, & orationibus in re tanti momenti diuinum auxilium imploraret, vt quàm rectiſſimè eorum electio, & miniſterium ſuccederet, qui gregi Dei eſſent iuxta gradus ſuos præficiendi. Hoc vnum præterea animaduerti oportet, tempore S. Thomæ, ieiunia, quæ in tempore Iunij in hebdomada Pentecoſtes incidebant, celebrata fuiſſe cum ſola abſtinentia carnium; bis tamen illis tribus diebus reficiebatur populus, quod eſſet, ſicut & vigilia Pentecoſtes ieiunium exultationis, vt ipſemet S. Thomas docet: & non eſſe præceptum Eccleſiæ, neque ieiunium in toto Paſchali tempore ab Eccleſia inſtitutum, ieiuniumq. afflictionis, & luctus non debere tempore lætitiæ, quale eſt Paſchale, & Dominica; in illo namque Pentecoſtes ieiunio, non genua flectimus, & Allelu-iah cantamus. Sunt enim quidam cantus lætitiæ, & hilaritatem oſtentantes in Eccleſia, quales ſunt Allelu-iah, & in Miſſis, Gloria in excelſis Deo, & Ite Miſſa eſt, & in precibus Matutinis, Te Deum laudamus. Rurſus alij cantus luctus, & mœroris, vt ſunt: Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ, loco Allelu-iah; & Benedicamus Domino, loco Ite Miſſa eſt. Quem etiam mœrorem, ſubticeri Gloria in excelſis Deo, & Te Deum laudamus, ſignificant: quæ omnia tamen fiunt in ieiunio Quadrageſimali. Verùm quoad ieiunium Pentecoſtes, vſus, & conſuetudo obtinuit, vt ſub præcepto ieiunetur, quæ ſicut leges abrogare, & antiquare, ita denuo ſtatuere, & innouare poteſt. Verùm nullum ieiunium, præter magnum Quadrageſimæ, cum abſtinentia fit à lacte, caſeo, & ouis, vt adnotauit S. Thomas, niſi contraria conſuetudo aliter faciendum alicubi docuerit, cui, vt legi ſemper ſtandum, & parendum nobis eſt.

S. Tho. 2. 2. q. 147. ar. 5. ad 3. & ar. 4. ad 5. & 4. ſent. diſt. 15. q. 3. ar. 3. q. 1. ad 3

Conſuetudo derogare põt iuri, ſicut & fecit ius præcepti in iv. tẽporũ Paſchal. & vig. Pent. quorũ nullũ ex iure apud S. Tho eſt in præcept. quia eſt ieiunium exultationis s. Th. 2. 2. q. 147. ar. 8.

DE IEIVNIO QVARTAE, & ſexta feriæ.

TErtium locum,vt vetuſtiſſimũ,tenet inter ieiunia illud, quod in feria quarta,& ſexta priſcis temporibus ſingulari religione ſeruabatur. Quod Ignatius tertius poſt Petrum Antiochenus Epiſcopus,& martyr,Apoſtolorum diſcipulus,valde Philippenſibus cõmendat,quos prius Petrus erudierat,& in rebus pietatis inſtruxerat: Poſt Paſſionis,inquit,Dominicæ hebdomadam,ieiunare quartis,& ſextis ferijs ne negligatis. Clemens item Romanus, Petri diſcipulus,& in Pontificatu ſucceſſor,pluribus locis ante Ignatium idem docuit:& Origenes,qui Ignatiũ ſequutus Habemus(inquit) Quadrageſimæ dies,ieiunijs conſecratos:habemus quartam,& ſextam ſeptimanæ dies,quibus ſolemniter ieiunamus. Idem Origenes in commentarijs in Marcum Euangeliſtam: Pridie,ait,quã pateretur Dominus,conſilium inierunt de capiendo Ieſu,quo factum eſt,vt & quartæ in hebdomada ieiunium ſeruemus,eò quod dies illa Dominicæ paſſionis fuit initiũ. Subſcribit huic ſententiæ Theophylactus. Apollo præterea,qui eſt quinquageſimus ſecundus inter patres,quorum vitas ſcripſit Palladius, de hoc ieiunio hæc loquitur. Catholica,& generalia ieiunia non licet ſoluere ſine ingẽti neceſſitate. In quarta etiam feria traditur Saluator,& in Paraſceue crucifigitur. Qui ergo ea ſoluit,Seruatorem vnà tradit,& vnà crucifigit. Sed ſi ad nos veniat frater,qui opus habet vt reficiatur, cũ ſit ieiunium,illi ſoli menſam apponite. Hieronymus præterea, ſtatuta ieiunij tempora Chriſtianis eſſe dicit Quadrageſimam, ac 4. & 6. feriam. Hoc denique vetuſtiſſimum inſtitutum 4. ac 6. feria ieiunãdi,vt Apoſtolicũ tradit Epiphan.& in omnibus orbis terrarũ regionibus quarta,& pro Sabbatho ieiunium eſſe in Eccl. decretũ. Pro Sabbatho autem vocat feriam ſextam,quæ ſabbathum proxime antecedit. Cur autem quarta,& ſexta feria, ieiunium præcipuè Eccleſia indixerit,rationem reddunt Clemens Romanus,& Auguſtinus, ob mœrorem,& luctum factum damnationis, paſſionis, & mortis Chriſti. Quarta enim feria concilium collectum à Iudæis, & morti adiudicatus fuit;& conuentio cum Iuda de ipſo tradendo facta:& ſexta feria crucifixus eſt,ac nocte præcedente captus,quę iam ad ſextam feriam attinebat. Sextum præterea hebdomadæ diẽ Veneri à Gentilibus ſacratum,in ludis,epulis,& omnibus nequitijs & luxu perditi inſumebant. Quem igitur illi diem cum primis lætum,& hilarem ducebant,Chriſtiani cum luctu,ac mœrore tranſi-

S. Ign. epiſ. ad Philippen 8. & ep. iv.

Clem. lib iv. conſt. Apoſ. c. vlt. & l. 7. c. xxiv.

Orig. in Leu. homil. x.

Theoph. in c. xiv. Matth.

Palladius ad Euage. epiſt. Reten. c. iv.

Habetur de conſec. diſt. 3. c. 16.

Epiph. in cõpediar. doct. fid. Cath. & tom. 1. cõt. hæreſ l. 3. c. 25.

Aug. l. de ieiun. & ep. 86 ad Caſul.

Clem. lib. 7. Apoſt. conſt. cap. xxiv.

gere maluerunt, non ſolum acerbiſſimos cruciatus, & mortem Christi turpiſſimam; verumetiam peccata ſua, quæ cauſam illis dederunt, deflentes. Noſtra autem ætate ieiunium quartæ feriæ omnino per deſuetudinem derogatum, niſi in Quadrageſima, vel quatuor temporibus incidens. Sexta vero a carnibus abſtinet vniuerſus populus Chriſtianus, & à lacticinijs, etiam & ouis Hiſpania: bis tamé in ea edunt, præter monaſticam vitam profitentes, quibus ea dies in maxima eſt ieiunij obſeruantia.

DE IEIVNIO SABBATHI.

INTER Romanos, & Græcos controuerſum olim fuit de obſeruantia, & abſtinentia in Sabbatho, Romanis ſentientibus ieiunandum vniuerſim in eo eſſe, contrà Græcis in eo ſolo, quod proximè Paſcha præcedit, & ſanctum vocatur, in quo Chriſti corpus in ſepulcro requieuit: in cęteris prohiberi ieiunium, & crimen illud non leue cenſuerunt. Extat namque Canon Apoſtolorum in hæc verba: Si quis Dominicum diem, aut Sabbathum, vno ſolo dempto, ieiunare deprehendatur, deponitor; ſi vero laicus ſit, arcetor à cómunione. Cui concordat Clemens Romanus Petri in Pontificatu ſucceſſor. Ieiunium, inquiens, ſoluere præceptum ſeptima die poſt gallicantum, ipſo autem Sabbatho ieiunare, non quidem quod ieiunandum ſit ſabbatho, quod eſt requies Domini à mundi opificio, ſed quia illo tantum ieiunandum eſt, quo ipſe auctor mundi adhuc erat ſub terra. Vbi Sabbathum Sanctum ſolum ieiunandum eſſe docet, vſque ad gallicantum noctis ſequentis, ad quem vſque ſolebát tunc Chriſtiani ieiunia extendere, & à carnibus, & alijs vetitis cibis abſtinere. Idem Clemés alibi diffuſius hoc idem explicauit, ita aiens. Sabbathum, & Dominicum dies feſtos agitate, quod ille quidem dies, recordatio ſit fabricationis, hic verò reſurrectionis. Vnum verò tantummodo Sabbathum nobis toto anno obſeruandum eſt; Sabbathum ſcilicet ſepulturæ Chriſti, quo quidem ieiunare decet, non autem celebrare feſtum. Dum enim auctor mundi ſub terra eſt, ſuperat luctus mortis lætitiam affectionis totius vniuerſi, quod ipſe effector præſtantior ſit natura, & dignitate rebus à ſe effectis. Si autem minus firma ſint teſtimonia horum, quod non vniuerſim citra ſcrupulum recipiantur; extat Ignatij irrefragabile, qui ait: Si quis Dominicum diem, aut Sabbathum, vno excepto, ieiunarit, hic Chriſti interfector eſt. Et ſexta ſynodus vniuerſalis Cóſtantinopolitana ſub Agathone Papa, tempore Conſtantini Magni Imperatoris, inhibet diſtrictiſſimè, ne Sabbathis, aut Dominicis diebus Quadrageſimæ ieiunetur in hæc verba: Quoniam intelleximus

Can. Ap. 65.
Clem. lib. 5. Apoſt. conſt. cap. 14.
Clem. lib. 7. Apoſt. conſt. cap. 24.
Canon 55.

mus in Romanorum ciuitate in ſanctis Quadrageſimæ diebus, in
eius Sabbathis ieiunare præter Eccleſiæ traditam conſuetudinem,
ſanctæ ſynodo viſum eſt, vt in Romanorũ Eccleſia canon inconcuſ-
ſe obtineat; qui dicit: Si quis clericus inuentus fuerit in ſancto Do-
minico, vel Sabbatho ieiunans, præter vnum, & ſolum, deponatur; ſi
autem laicus ſegregetur: hucuſque ſexta ſynodus illo canone. Cau
ſæ igitur, quæ permouerunt priſcos illos Patres ad cauendum ieiu-
nium Sabbathi, vno excepto, fuere, quod requies Domini fuiſſet ab
opificio mundi, quod eius feſtiua obſeruantia, celeberrima omni
tempore ante paſſionem Chriſti fuerit, & à Deo toties commenda
ta, & ſub præcepto etiam iniuncta populo Hebræorum, in memo-
riam creationis mundi, Quamuis enim cœremoniæ tunc ceſſaſſent
quæ Sabbathum comitabantur, monumentum tamen eſſe creatio-
nis mundi, non videbatur illi ademptum, nec facilè eam ſanctam
obſeruantiam, quæ mores concernebat, deſerendam, religioſè pri-
ſci illi Patres cenſuerunt. Verum Innocentius primus Pontifex, a-
lijs contra rationibus permotus, Sabbathum perpetuo ieiunio ad-
dixit, & citra ſolemnitatem tranſigi decreuit, tum quod illo die
mortuus Chriſtus in ſepulchro iacuiſſet, tum quod non vnum Sab
bathum ſolum hanc memoriam referret, ſed quodlibet per anni cir
culum, id refricare oporteret, ſicut ſexta feria, non ſola Paraſceues
ſed quæuis per totum annum mortem Chriſti repræſentat, & dies
quicunque Dominicus eius reſurrectionem. Itaque Sabbathum Sã
ctum, & quodlibet aliud in progreſſu anni occurrens, ſepulturam
Chriſti, luctum, & mœrorem, atque ieiunium Apoſtolorum, & Diſci
pulorum Chriſti referebat, & maius aliquid ſepultura Chriſti, & in
ea requies, quam ceſſatio ab opificio mundi, iudicata eſt, & cuius
antiquam lætitiam luctus ſequens, non aliter atque eclypſis Solem
adumbraret. Meminit huius conſtitutionis Gratianus in ſuis de- *De conſecrat.*
cretis, quam Innocentius ad Decentium ſcripſit in hanc formam: *Diſt. 3. c. 13.*
Sabbatho ieiunandum eſſe, ratio euidentiſſima demonſtrat. Nam *Epiſt. 1. c. 4.*
ſi diem Dominicum ob venerabilem reſurrectionẽ D. N. Ieſu Chri
ſti, non ſolùm in Paſcha celebramus, verum etiam per ſingulos cir-
culos hebdomadarum, ipſius diei imaginem frequentamus; ac ſe-
xta feria propter paſſionem Domini ieiunamus, Sabbathum præ-
termittere non debemus, quoniam inter triſtitiam, & lætitiam tẽ-
poris illius videtur incluſum. Nam vtique conſtat biduo iſto, & in
mœrore fuiſſe, & propter metum Iudæorum ſe occuluiſſe. Quod
vtique non dubium eſt, in tantum eos ieiunaſſe biduo memorato,
vt traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo ſacramenta penitus non ce
lebrari. Quæ vtique forma per ſingulas tenenda eſt, hebdomadas,
propter id, quod commemoratio iſtius diei ſemper eſt celebranda.

 Quod

Aug. ad Caſulan. de ieiun. diei Sabbathi.

Quod ſi putant ſemel, atque vno Sabbatho ieiunandum, ergo & Dominica, & ſexta feria, ſemel in Paſcha erit vtique celebranda. Hæc Innocentius abhinc 1180. annos ſtatuit. Qui vixit in Pontificatu anno 416. Sicut igitur in qualibet ſeptimana obſeruatur dies Dominicus, & ſexta feria ieiunatur; ita omni die Sabbathi debemus ieiunare, quia his duobus diebus Apoſtoli fuerunt in timore, & pauore, atque ieiunauerunt. Vnde etiam in illo biduo ante Paſcha, Euchariſtia non conſecratur. Aliam, præter iſtas, rationem Auguſtinus inducit, ſcribens ad Caſulanum: Eſt quidem hæc (inquiens) opinio plurimorum, quamuis eam perhibeant eſſe falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiuſdem vrbis Eccleſia ieiunauerit, & conſequuto tam proſpero, & glorioſo ſucceſſu, eundem morem tenuerit: eumque imitatæ ſunt nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Sed hæc ratio ab Auguſtino ex aliorum opinione allata, parum firmitatis habet, & forſan etiam veritatis, vt rectè dicitur, multos eam Romanos negaſſe. Subiunxit Auguſtinus cauſam, vnde iſta varietas opinionum in Eccleſia orta, dicens, Sabbathum, quo die caro Chriſti in monumento requieuit, Deus illo die ab omnibus operibus ſuis vacauit. Hinc exorta eſt in Eccleſia iſta veſcendi varietas, vt alij, ſicut maximè populi Orientis propter requiem ſignificandam maluit relaxare ieiunium, alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Fuerunt etiam & aliæ honeſtiſſimę cauſæ, cur ieiunium in Sabbatho obſeruandum eſſet. Nam cum Sabbathum Iudæis cum primis in honore exiſtat, iuſtiſſimè ideo ab Eccleſia ſtatutum fuit, non tanquam feſtiuum, & ſolemne celebrari debere, ſed abſtinentiæ conſecrandum fore, ne quicquam nobis in ea eſſet cum illis obſeruantia commune, & haud ipſis exultando præbeatur, quod Chriſtus ſuſtinuit moriendo. Eademque ratione cautum, ne noſtrum cum ſuo Paſcha concurreret, ne cum ipſis vmbram ſuæ expectationis videremur complecti, cuius nunc rei veritatem tenemus: Sabbathum præterea vigilia, & pridianus eſt Domini feſtiuitatis dies. Cum autem feſtos dies hilares agamus, propterea pridianos mœſtos ducimus; vt ſignificemus ad æterna gaudia non niſi per labores, & anguſtias veniendum, vt igitur dignè celebremus feſtum Dominicæ Reſurrectionis, & creationis Mundi, & poſt dies tantorum beneficiorũ gratias agere poſſimus, æquum fuit, vt vigiliam tanti feſti tranſigeremus, & non aliter quàm ieiunio purgati ad id accederemus: indignus enim ſolemni lætitia eſt, qui ſtatutam vigiliæ abſtinen-

tiam

tiam non obſeruat. Eſt enim vniuerſum præſentis pænitentiæ tempus vigilia quædam magni, & æterni Sabbathi, quod prçſtolamur. Hç igitur potiſsimç ſunt rationes, quæ Romanorum mentes, ad Sabbathi ieiunium ſtabiliendum; vel Innocentij ad decretum illud confirmandum, permouere potuerunt; quod tamen Orientales neutiquam receperunt: ſed vſque in præſens, ſiue intra Quadrageſimam, ſiue reliquo anni tempore, Sabbatho non ieiunant, ſed vt Dominicum fermè diem feſtiuum, & hilarem agunt: prçter quam vnicum illud hebdomadç ſanctç, in quo religioſè ieiunant; Sabbathis tamen, quæ intra Quadrageſimam incidunt, à carnibus prorſus abſtinent; quod & faciebant Mediolanenſes tempore Sancti Ambroſij: Scribit namque Auguſtinus, ad Ianuarium: Mater mea Mediolanum me conſequuta, inuenit Eccleſiam Sabbatho non ieiunantem; cœperat fluctuare quid ageret, tunc ego conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium, at ille ait: Cum Romam venio ieiunio Sabbatho: cum Mediolani ſum, non ieiuno. Itaque tunc Romæ Sabbatho ieiunabatur, Mediolani verò minime, quare idem Ambroſius pro ſingulari populi abſtinentia duxit, quod Sabbathum antè Pentecoſten ieiunaſſe, quaſi conſuetum morem tranſgreſſus: Noſſe credo (inquiens) vos fratres non minori lætitia celebramus feſtum Pentecoſtes, quam ſanctum Paſcha curauimus: tunc enim ſicut modo fecimus ieiuniū Sabbatho vigilias celebrauimus: orationibus pernoctantes, inſtitimus. vnde neceſſe eſt ſimilē obſeruantiam, ſimilis lçtitia ſequatur; in Hiſpania autē, aut Innocentij tunc decretum non omnino receptū, ſicut nec in Orientalibus Eccleſijs, aut poſtea diuturnis, ac moleſtiſſimis bellis aduerſus Arabas, Maumetanos, qui totā fermè prouinciā occuparant, per 700. & eo amplius annos cōtinuos geſtis, in annonç anguſtiſſima penuria, pep contrariā indictam conſuetudinem abrogatū, veſcuntur namq; Sabbathis Hiſpani, Luſitanis exceptis, viſceribus, & inteſtinis, & extremitatibus quadrupedū animātū, à corporibus tamen eorundē omnino abſtinent, Romanis certè cūcta auiditate ieiuniū Sabbathi ſuſceptū, vt illis quaſi peculiare tribueretur, quod Niceph. annotauit, qui dicit, Romanis mos eſt, quolibet Sabbatho ieiunare, cçteri partim cū illis conſenſerūt, partim diſſēſerūt, quiq; tamē honeſtis rationibus ducti, atq; permoti: indifferēs enim tūc fuiſſe illud ieiuniū, annotauit Aug. quod multç Occidētis Eccl. ſuſcepiſſent, multç ſuſcipere detrectaſſent: & ipſe in hac re cōſulit, morē patriæ cuiuſq. ſeruandū, & ad quā quiſq. regionē peruenerit, in rebus, quæ aduerſus religionē expreſſe non militāt morib' gentis ſtandū; hinc ſententiā Ambr. & Aug. ſequendo, exiſtimo licere, Italo, Gallo, & Germano, ſi Hiſpaniam adire contigerit, more

illius

Aug. ad Ianuar. ep. 118 c. 2. & habet diſt. xij. c. illa

Ambr. in ſer. 61. Pente. & habet. 26. c. Noſſe.

Nicepho. lib. xij. cap. 34.

illius gentis vti, viſceribus, inquam, & extremitatibus quadrupedum animantium veſcendo, ſicut & illi veſcuntur: Sed ſi Hiſpanus Italiam côſcendat, oporteat, vt legibus Italiæ viuat, & omnino à carnibus abſtineat, viſceraque animâtium, & inteſtina non edat, dicet Hiſpani in nouo orbe, vbi colonias fundarunt, eum morem traduxerint, & retinuerint. Et quidem Innocentij conſtitutio edita fuit triginta ferme annis ante obitum Auguſtini, cum ipſe reſcire potuerit, quæ Eccleſiæ Occidêtis ordinationem illam ſequerêtur, & quæ minimè. Sequutum namque in Agatha, Galliæ ciuitate, Agathenſe Concilium ſub Alarico Rege, anno Chriſti circiter 490. & poſt obitum Innocentij fermè 90. in quo ieiunium Sabbathi, denuo indictū ſed ſolum in Quadrageſima; ſic enim habet Canon: Placuit vt omnes Eccleſię filij, exceptis diebus Dominicis, in Quadrageſima, & in die Sabbathi, ſacerdotali oratione, & diſcretionis communione ieiunent, quod refertur à Gratiano in decretis. Gregorius tamen ſeptimus in Synodo celebrata Romæ, annos poſt quingentos & octoginta octo, pontificatus 6. & 8. ita ſtatuit: Quia dies Sabbathi apud ſanctos Patres noſtros in abſtinentia celebris eſt habitus, nos eorundem authoritatem ſequentes, ſalubriter admonemus, vt quicunque ſe Chriſtianę religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carnium, eademque die, niſi maiori feſtiuitate interueniente, vel infirmitate impediente, abſtineat, quod à Gratiano in decretis recitatur. Non videtur hæc Gregorij ſeptimi conſtitutio ſub præcepto obligare, ſed paterna quædam admonitio, & obteſtatio eſſe, & adueniente in ipſo Sabbatho maxima aliqua feſtiuitate, vt Chriſti Beatæ Virginis, vel ſanctorum Apoſtolorum, ieiunium relaxari poſſe: ſicut & in ægritudine fieri licet, verum conſuetudo populi Chriſtiani obtinuit, vt, & feſtiuitatibus ſolemnioribus in ipſo occurrentibus, nihilominus ieiunetur; præterquam ſi Natalis Domini in illo euenerit, quia tunc ieiunium omnino relaxatur populo cuncto Chriſtiano, niſi ijs, qui peculiari voto ieiunij ſunt aſtricti. Si enim in feria ſexta id decreto Pontificio indultum ab Innocentio tertio, à fortiori in Sabbato videtur conceſſum, Sabbathi igitur ieiunium à principio naſcentis Eccleſiæ omnino interdicebatur fidelibus, Romanis ſpeciatim abſtinentiam eo die profitentibus, quos progreſſu temporis Occidentales Eccleſię ſequutæ. Orientales contra, ſemper Sabbathi ieiunium recuſarunt, feriam autem quartam, Sabbathi loco, in ieiunio obſeruarunt. Eccleſię autem Occidentales, quartæ feriæ abſtinentiam ad Sabbathum videntur tranſtuliſſe, & ita Orientales ſingulis hebdomadis feria 4. & 6. Occidentales feria ſexta, & Sabbatho ieiunium celebrarunt.

De conſecra. diſ. 4. placuit vt omnes.

De conſecra. diſt. 5. quia dies.

Tit. 46. de obſerua. ieiunij cap. 2.

DE NON IEIVNANDIS DIEBVS DOMINICIS, *nec 50. ferijs, quæ incidunt inter Paſcham, & Pentecoſten.*

VEteres, & recentiores Patres ſummopere cauerunt, ne ieiunio diem Dominicum, eiuſque celebritatem turbarent, exiſtimantes lætitiam eius quodammodo minui; & violari, ſi mœror illi, vel luctus ieiunij accederet, vel vlla ex parte miſceretur; canones namque Apoſtolorum (ſi tamen ij legitimi ſunt) & Conſtantinopolitana ſexta ſynodus vniuerſalis, Clericum in ſancto Dominico ieiunantem, deponi iubent, & laicum à communione ſegregari, die Dominico ieiunare, magnum ſchandalum putat eſſe Auguſtinus; præſertim ob Manichæos, qui ſuis auditoribus ieiunandi hunc tanquam legitimum conſtituerunt diem, quo factum vt ieiunium diei Dominicæ horribile haberetur; At multo ante tempora Manichæorum diei Dominicæ ieiunium Chriſtiano populo fuit interdictum: Melchiades namque Pontifex ad Epiſcopos Hiſpaniarum, vt à Gratiano inter decreta refertur, ieiunium, inquiens, Dominicæ diei, & quintæ feriæ nemo celebrare debet, vt inter ieiunium Chriſtianorum, & gentilium, veraciter credentium, & infidelium, atque hæreticorum, vera, & non falſa diſcretio habeatur. Legitur namque in Pontificali Damaſi, ideo Melchiadem ſanxiſſe, ne quis die Dominico, aut feria quinta ieiunaret, quia eos dies pagani, quaſi ſacrum ieiunium celebrabant; cui rei conſentit teſtimonium vetuſtius Clementis Romani, cũ ait, Ieiunia veſtra non ſint cum hipocritis communia ieiunant: enim 2. hebdomadis feria, & quinta: at vos, aut quinque diebus ieiunate, aut quarta, & ſexta feria: verum alia decreta Pontificum, & multi Conciliorum canones, diei Dominicæ, nulla iſtarum ratione expreſſa, ieiunium ſeueriſſimè interdicunt: vt Cæſarauguſtani cap. 2 & Gangrenſis in Paphlagonia anno 324. celebrati, qui ita habet; ſi quis propter continentiam, quæ putatur, aut contumaciam in die Dominico ieiunat, anathema ſit. Canon præterea 63 quarti Concilij Carthaginenſis, anno Domini 400 celebrati. Qui die Dominico, inquit, ſtudioſè ieiunat, non credatur eſſe Catholicus: & à Gratiano decretum refertur in hæc verba. Ne quis ieiunet in die Dominica, cauſa timoris, aut perſuaſionis, aut ſuperſtitionis. Et apud Burchardum libr. 19. imponitur pænitentia ei, qui die Dominico ieiunat, etiam propter abſtinentiam, & religionem, quibus aſſentitur Euſebius Emiſſenus in homilia Pentecoſtes, & certè ob decreta Patrum huiuſmodi ieiunium prohibentia,

De conſecra. diſt. 3. capit. ieiunium.

De conſecra. diſ. 3. ne quis.

& quia ſingularis eſſet aliorum omnium conſuetudinem tranſgrediens, & ſcandalum etiam præbens, à graui peccato excuſandus non eſſet, qui die Dominico ieiunaret. Fuit etiam ab Eccleſijs indicta ieiunij relaxatio, quinquaginta illis diebus, qui inter Paſcham, & Pentecoſten interueniunt, de quibus Ambroſius; Scire, inquit, debet ſanctitas veſtra, per hos quinquaginta dies nobis eſt iugis, & continuata feſtiuitas, ita vt hoc omni tempore, nec ad obſeruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deus genibus ſuccidamus; inſtar ergo Dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies velut Dominici reputantur, Reſurrectio enim Dominica eſt: Nam in Dominica reſurgens Saluator reuerſus ad homines eſt, & poſt Reſurrectionem tota Quinquageſima cum hominibus commoratus eſt: neceſſarium ergo vt æqualis eſſet eorum feſtiuitas, quorum æqualis eſſet, & ſanctitas. Sic enim diſpoſuit Dominus, vt ſicut eius paſſione in Quadrageſimæ ieiunijs contriſtamur, ita eius reſurrectione in Quinquageſimæ ferijs lætaremur: Nō igitur ieiunamus in Quinquageſima, quia in his diebus nobiſcum Dominus commoratur.

Ambr. in feſto Pentecoſt. ſerm 8. 61. & & habetur diſt. 76. ſcire debet.

Iſidorus tamen docet, non inhiberi ita ieiunium illis quinquaginta diebus, vt non poſſit in iiſdem quilibet, exceptis Dominicis, ieiunare; nam hoc cuilibet licere, exemplis propoſitis, rectè aſſeuerat, aiens: Poſt Paſcha vſque ad Pentecoſten, licet traditio Eccleſiarum abſtinentiæ rigorem, prandijs relaxauerit, tamen ſi qui Monachorum, vel Clericorum ieiunare cupiunt, non ſunt prohibendi, quia Antonius, & Paulus, & cæteri Patres antiqui, etiam ijs diebus in eremo leguntur abſtinuiſſe, neque ſoluiſſe abſtinentiam, niſi tamen in die Dominico. Hieron. etiam ad Licinium relaxationem illam quinquagenariam ieiuniorum probat, ſed tamen liberum eſſe cuique relinquendum, ſi velit illo tempore ieiunare, vel non, inquiens: Vtinam omni tempore ieiunare poſsimus, quod in actibus Apoſtolorum, diebus Pentecoſtes, & die Dominico Apoſtolum Paulum, & cum eo credentes feciſſe legimus: & infra.

Iſid. lib. 1. de Eccleſiaſt. of. c. 42. & habetur diſt. 76. poſt Paſcha.

Hierony. ad Licinium ep. 28. & habetur diſt. 76. vtinam.

Nec hoc dico, quod diebus Dominicis ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam: ſed vnaquæque prouincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta maiorum, leges Apoſtolicas arbitretur. Ergo non ieiunare die Dominico eſt præceptū, non ieiunare quinquaginta diebus intra Paſcham, & Pentecoſten indulgentia eſt, non præceptum; quo tempore Eccleſia vult reficere, & recreare eos, qui antecedenti, & longo Quadrageſimæ ieiunio ſe macerarant: qui vltra velit procedere in abſtinentia, licet;

cet; & patrius denique mos, & conſuetudo ſuæ cuiuſque gentis pro arbitrio in hac facultate ſectanda, oblata.

IEIVNIA VIGILIAE NVNCVPATA.

FVit à priſcis obſeruatum, vt à feſto Paſchatis, vſque ad Pentecoſtes non niſi ſtantes orarent, vocabanturque ij ſtationum dies, de militari exemplo nomine ſumpto, qui in acie, neque cubant, aut iacent, ſed ſtant, ſicut à Tertulliano ſcriptum eſt, ideoque ſtationes militares dictæ, idemque fiebat omnibus Dominicis diebus, quibus non genuflexi, ſed ſtantes orabant Chriſtiani, & ſuas ita preces fundebant, qua de re Niceni quoque concilij decretum interceſſit, quo cautum eſt, in die Dominico, & à Paſcha vſque ad Pentecoſten ne quiſquam genua flecteret, ſed ſtantes ad orationem vota Domino cuncti redderent. Hunc ritum ſolemnem fuiſſe, ſuoque tempore obſeruatum Ambroſius docuit: Scire debet, inquiens, ſanctitas veſtra, per hos quinquaginta dies nobis eſt iugis, & continua feſtiuitas; ita, vt hoc omni tempore, nec ad obſeruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus ſuccidamus. Inſtar ergo Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies, velut Dominici deputantur: Reſurrectio enim Dominica eſt, nam in Dominica reſurgens Saluator, reuerſus ad homines eſt: & poſt reſurrectionem tota Quinquageſima cum hominibus commoratus eſt. Hæc Ambroſij verba referuntur à Gratiano inter decreta; quibus docemur ſtandi morem in Dominicis, & ferijs Pentecoſtes ſuo tempore obſeruatum: cum ad Deum orationes effunderentur, & rationem eſſe adiunxit ob memoriam reſurrectionis in Dominicis; & ferijs Pentecoſtes, ob præſentiam corpoream Chriſti, cum ſuis Diſcipulis: quamquam ea non fuerit niſi quadraginta dierum, vſque ad Aſcenſionem, quia tamen cum octauis ea feſtiuitas celebratur, & fermè ſe extendit ad Pentecoſten vſque; ideo dicitur ab Ambroſio quinquaginta diebus fuiſſe præſentiam Saluatoris. Aliam et addit Baſilius huius ritus rationem, præter reſurrectionem Chriſti, cum ait: In prima Sabbathi erecti perficimus deprecationem: Sed rationem non omnes nouimus: non ſolum enim, quod veluti ſimul reſuſcitati, quæ ſurſum ſunt, quærere debemus, ſignificantem diem poſt horum temporum ſtatum, numquam finiendum, ac veſperę neſcium, nec ſucceſſori cedentem, hoc eſt æternitatem, quæ finem non habet, nec ſenium nouit. Neceſſarium igitur in hoc die Eccleſia ſuos alumnos docet, ſtantes abſoluere preces ſuas, vt aſſidua commonitione

Tertullia. in lib. de Orat. & de corona milit. c. 20

Ambro. in feſto Pent. ſer. 61. & habetur 76. diſt. ſcire debet.

S. Baſil. libr. de Spirit. ſancto c. 27. prima Sab. Dominic. ibi vocatur, quod poſt Sabbat. primus dies ſuccedat.

vitæ illius numquam deſituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum, quin & totum tempus vſque ad Pentecoſten eſt admonitio reſurrectionis, quam in illo ſeculo expectamus in quo corporis erecto habitu precari potius nos ritus Eccleſię docuerunt; nimirum per euidentem commonitionem, quaſi transferentem mentem noſtrã à præſentibus ad futura, inſuper & quoties genua flectimus, & rurſus erigimur ipſo facto oſtendimus, quod ob peccatum in terram delapſi ſumus, & per humanitatẽ eius, qui creauit nos in Cęlum reuocati ſumus. Hucuſq. Baſil. qui non ſolum reſurrectionem Dominicã, eo corporis habitu, cõmemorare Chriſtianos dicit, ſed referre, quę poſtea ſumus habituri in Cœleſtibus, qui non genuflexi, nec ſedentes, neque ſtantes ſumus futuri: & vt ex peditiores ad iter accincti viaticũ in hac vitę peregrinatione præparandum excogitemus, & ſicut per genuflexionem lapſum in terram ob peccatum ſignificamus, ita erectos, & eleuatos in ſublime per Saluatorem, qui in tantam gloriam, & dignitatem euexit noſtram naturam excellentiam noſtram ſtantes agnoſcamus; Sicut igitur diſtincta ſunt tempora, pro ratione diuinorum myſteriorũ, ita pariter peculiares cuique tempori adſcripti reperiuntur precandi, & orandi ritus, vt ſtantes aliquando, genuflexi ſæpe Chriſtiani adorare monerentur; cuius rei variam pro opportunitate temporum obſeruantiam, ex Apoſtolico manaſſe inſtituto, non ſolum Baſilius, ſed & Iræneus Policarpi Iohannis Euangeliſtæ Diſcipuli auditor, & Iuſtinus Martyr tradidere. Stationes præterea ſpeciatim ſunt dicti dies ieiunij Quadrageſimæ, hinc ſtationem eſſe ſingulis diebus Quadrageſimæ, ad templum, quo populus Romæ, ex præſcripto Pontificio, concurrit, dicitur, metaphora ſumpta a ſtationibus, ſeu manſionibus, quibus, populus Iſraeliticus conſtitit in deſerto loco, terram à Deo promiſsam ingreſſurus, vt Ambroſius ſermone trigeſimoquarto, de Quadrageſima, & 25. Tertullianus aduerſus Pſych. capite decimoquarto, & Caſſianus, & alij annotauerunt. Obſeruabantur, & olim à Chriſtianis cum huiuſmodi ſtationibus vigiliæ nocturnæ, quibus & à carnibus, & à vino abſtinebatur, & aqua ſolum potum præbebat, obſonium verò erat panis, cum ſale, & aqua: in ijs populus conſurgens, vt eſt apud Baſilium, antelucano tempore, domum precationis petebat, & curſitabatur ad ſepulchra Martyrum, à pueris, puellis, viris, fœminis, omniſque generis ætatis, & conditionis hominibus. Nunc, & ſtationum, & vigiliarum nomen ſolum ſuperſuit; res, quæ coniunctim fiebat, vel ſtantium oratio omnino exoleuerunt: nam neque ſtantes oramus, nec nocturnas vigilias exercemus, quo-

Baſil. lib. de Spirit. ſanct. cap. 27.
Irenæus lib. de Paſch.
Iuſtin. Martyr q. 115.

quorum tamen vtrumqne apud Græcos, & Aſiaticos in maximo vſu etiam nunc eſt. Vigiliarum nomen tamen ad quædam ieiunia nunc tranſlatum, quæ pridianis maiorum feſtorum diebus, ex maiorum conſtitutione, obſeruamus, hæc namque ieiunia, vigiliæ vocantur: ideo quia olim erat illis coniunctum ieiunium, nemo enim periuigilia illa ſine magna abſtinentia tranſcurrebat commune namque eſt, magnis feſtiuitatibus ingruentibus, peculiari nos ieiunio macerare, & expiare, quo puriores ad eas accedamus; & eaſdem conuenientius, & caſtius celebremus: hinc ortum, vt Eccleſia in ſolemnioribus, & celebrioribus diebus Chriſti Saluatoris noſtri, & Beatæ Virginis, & ſanctorum Martyrum, aliqua, quæ illas antecederent ieiunia indixerit, vt ieiuniorum ſtimulo excitati, ad conſiderationem myſterij celebrandi mentem eleuemus, & quid Dominus, & Redemptor noſter pro nobis ſubierit, quid ſancti Apoſtoli, & Martyres tolerauerint, meditemur, & recolamus eſſe nobis eorum propoſita ad imitandum certamina, & heroicas virtutes, quas emulemur. Sunt autem vigiliæ hæ, numero tredecim; videlicet Pentecoſtes, Natalis Domini Aſſumptionis beatæ Mariæ, omnium Sanctorum; item beati Ioannis Baptiſtæ, & Laurentij; quæ duarum vigiliarum ieiunia in concilio Aquiſgran. anno Domini 1016. præſente Imperatore Henrico decreta fuere, vt Sigibertus, & Krantius teſtantur; præterea Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Iacobi, Bartholomæi, Simonis, & Iudæ, Andrææ, & Thomæ, atque Matthiæ: omnes namque Apoſtolorum vigiliæ in obſeruatione ieiunij celebrandæ, præter vigilias Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, atque Ioannis Euangeliſtæ, quoniam illorum feſtiuitas intra ſolemnitatem Paſchalem, iſtius autem intra Natalem Domini celebratur, vt Innocentius 3. Pont. in Epiſt. ad Bracharenſem Archiepiſc. decretali ſcripſit: & licet de vigilia olim Matthiæ à Clericis ſancti Petri magalonenſis, & de s. Bartholomæi ab Archiepiſcopo Bracharenſi fuerit olim dubitatum, & idem Innocentius tertius conſultus; priorem ſub ieiunio celebrari debere declarauit, alteram pro more cuiuſque patriæ & regionis obſeruandum definiuit: nunc autem, non tam ſcripto iure, quam communi totius populi Chriſtiani conſenſu, ſub præcepto ſingulæ ieiunio celebrantur, præterquam à Grecis, & Aſiaticis, qui nullas admittunt vigilias, quas ſub præcepto obſeruent, quod ſi iſtarum tredecim vigiliarum aliqua in die contingat Dominico occurrere, ad proximum Sabbathum, quod proxime antecedit, ieiunium fore traſferendum ipſemet Innocentius ordinauit.

Sigibertus in chron. Krant. lib. 4. cap. 35.

Titul. 46. de obſeruatione ieiun. cap. 2.

DE IEIVNIIS
in Kalendis Ianuarij.

Synod. Turo. cap. 13. IN Gallijs, tempore Pelagij primi Pontificis, à ſecunda Turonica ſynodo decretum fuit, quod inter natalem Domini, & Epiphaniam, omni die eſſent feſtiuitates, in quibus monachi prandeꝛent; excipiebatur tamen triduum illud, quo, ad calcandam gentilium conſuetudinem, Patres noſtri ſtatuerunt priuatas in kalendis Ianuarij fieri Litanias, vt in Eccleſia pſallatur, & hora octaua in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur: Habita autem fuit hæc Turonica ſecunda ſynodus circa annum Domini 555. ex cuius decreto colligimus, primis tribus diebus menſis Ianuarij hanc imperatam obſeruantiam cuſtodiri; litanias priuatas intra muros Eccleſiarum cantari debere, & non publicas foris recitandas, ne forte gentilis populus, vel ſuperſtitioni tunc deditus, ſacris precibus illuderet, vel ordinem Fidelium ſuis bachanalibus interturbaret; ad quorum ritus confutandos, & confuſionem inducẽdam hominibus illis perditis, ieiunium etiam monachis iniunctũ, vt nimiæ, & effuſæ lætitiæ ipſorum, ſigna vbique mœſtitiæ, & luctus occurrerent, quæ illorum animos à ſimilibus ludibrijs auocarent. Centum poſt ferme annos, æra inquam 681. hoc eſt anno Chriſti 643. (nam 38. annis æra annos natalis Chriſti excedit) in Concilio Toletano 4. ſub Honorio primo Pontifice, & *Siſenando* Rege, canone x. ordinata ſequentia fuere: *Statuimus*, vt in omnibus diebus Quadrageſimæ Allelu-iah non cantetur, quia tempus mœroris eſt; in temporibus vero reliquis, ideſt, Kalendis Ianuarij, quæ propter errorem gentilium aguntur, omnino Allelu-iah non decantabitur, in quibus etiam præter piſcem, & olus, ſicut & in illis quadraginta diebus cęteris, carnibus abſtinetur, & in quibus etiam nec vinum bibitur: Si quis ergo Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus contrafecerit, ordinis ſui officio carere cogatur, & communione eiuſdem Paſchæ priuetur: hæc decreti forma. Ex quo nõ obſcure liquet adhuc ſicut in Gallijs centum annis ante, ita & in Hiſpanijs centũ annis poſt, ritus quoſdam gentilicos perduraſſe, ad quos euellẽdos & conculcandos hæc demum fuerit abſtinentia conſtituta, ad quã ſoli clerici tenebantur, ſicut in Gallijs monachi; nullibi tamen laici. Sed quæ fuerit iſta tanta gentilium ſuperſtitio, quæ has potius quam aliorum menſium ſuccedentium Kalendas profanauerit, vt coegerit Chriſtianos in magna feſtiuitate ieiunium Quadrageſimale ſuſcipere, & Allelu-iah prætermittere triduum, inquirendũ. Haud certe dubium kalendas Ianuarias, præter cęteras aliorum

men-

menſium, maxime celebres fuiſſe, propter anni initium, in quibus omne genus operis in ſua quiſque arte inchoabant, inſtaurabant; reliquum anni proſperum, aut infauſtum ex prima eius die augurati. hoc eodem die, qui deſignati erant Conſules, Conſulatum inibant, &, comitati frequenti populo, aſcendebant Capitolium, & Ioui iniuges iuuencos mactabant, multaq. odorem facientia in templis, & pro foribus templorum cremabantur. Eiſdem Kalendis Ianuarij amici lætis precationibus fauſtum ſibi inuicem ominabantur, teſte, præter Plinium, & alios, Ouidio;

At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis, Ouid. 1. faſt.
Et damus alternis, ſuſcipimusq. preces.

Item munera ſibi inuicem mittebant boni ominis cauſa, videlicet caricas, cariotides, & mella, vt dulces dies anni à dulcioribus rebus auſpicarentur, & ſtipem, ideſt nũmum ſignatum, quæ omnia ſimul ſtrenas appellarunt: Itali nunc manciam, Hiſpani aguilandum ſuis linguis vocant: importunum, & faſtidioſum extortionis genus, quo potentiores plebs, pauperes ditiores vexant. Hocq. idem factitatum à priſcis in Saturnalibus Decembris, per dies ſeptem; à xvi. inquam Kalendarum Ianuarij, vſque ad Nonam, in quibus varia ſibi inuicem munera, & xeniola miſſitabant; eratque tunc concertatio quædam, & reciproca rerum variarum donatio, quas Apophoreta etiam nominarunt; quod tempus fermè incidebat cum Natalis Chriſti, quo eodem iſta populi improbitas, & importunitas viget in vrbe, & reliquis Italiæ populis, & frequentiſſimo vſu eſt, à gentilibus proculdubio conſuetudine iniqua mutuata; ad quam conuellendam ab auara pecuniarum plebe opus eſſet nouo ieiunio, & litanijs, per hoc tempus intermiſſis. Verum iſti abuſus, & ſuperſtitiones illa ætate conſuetæ, non tanti momenti videri poterant, vt Chriſtiani ſe debuerint triduano ob eos ieiunio macerare, præſertim cum multa horum ad ciuilitatem, & conuictum hominum attinerent. At multo alia peiora erant, quæ Chriſtianos irritarent: feſtum inquam Iani in ipſis Kalendis celebratum, qui Deus, & pater omnium Deorum ſumma ſuperſtitione à gentilibus colebatur, cui ſacra fiebant ex libo, & mola, quę farina horna, & ſale miſcebatur, quin etiam ex thure, & mero. Erat etiam is dies feſtum dedicationis templorum Æſculapij, & Iouis in Inſula Tiberina, vt Ouidius ſcribit. Plurimum autem celebritatis Kalendis Ianuarij feſto horum duorum templorum dedicatione acceſſerat, cum Seruius author ſit, nihil apud Romanos, tam ſolemne fuiſſe, quam diem conſecrationis, ſeu dedicationis: Cæterum

Æſcula-

Æſculapio eo die de capra in primis ſacrificium fiebat, quoniam capra numquam ſine febri eſſe dicitur, ſed & gallus. Quidam etiã ſcribũt gallinas ei oblatas fuiſſe,& has quidẽ roſtro nigro, nigriſq. pedibus: ſi enim luteo eſſent roſtro,vel pedibus, impuræ eſſe dicebantur ab Aruſpicibus. Hæ autem feſtiuitates communes erant cunctis gentibus in Gallijs,Hiſpanijs, alijſq. Prouincijs plurimis, quæ Romanos ritus,& gentilium ſectabantur,quas non ſolum in Kalendis Ianuarij,ſed biduum poſt,in tertium,& quartum nonarũ eiuſdem menſis protrahebant,nouos quiſque pro patriæ conſuetudine abuſus,& vanitates augendo, quas in primis damnauit Zacharias Pontifex in Concilio Romano: Si quis, inquiens, kalendas Ianuarij,& brumam ritu paganorum colere,vel aliquid plus noui facere propter nouum annum,aut menſas cum dapibus,vel epulis in domibus præparare,vel per vicos,vel plateas cantiones, & choros ducere præſumpſerit,quod magna eſt iniquitas coram Deo, anathema ſit: vnde Auguſtinus:Non obſeruetis,inquit,dies,qui dicuntur Ægyptiaci,aut Kalendas Ianuarij, in quibus cantilenæ quædã, & commeſſationes,& ad inuicem dona dantur, quaſi in principio boni fati augurio; & in alio decreto Gratiani: Non licet iniquas obſeruationes agere Kalendarum,& ocijs vacare gentilibus, neq. lauro,aut viriditate arborum cingere domos:Omnis enim hæc obſeruatio paganiſmi eſt,quod Paulus reprehendebat,ſcribens ad Galatas,cum ait:Dies,& menſes,& annos obſeruatis, timeo ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis.Item Turonenſis Concilij 2. habetur:Quoniam cognouimus nonnullos inueniri ſequipedas erroris antiqui, qui Kalendas Ianuarij colunt, cum Ianus homo gentilis fuerit rex quidam,ſed Deus eſſe non potuit; quiſquis ergo vnum Deum patrem regnantem cum Filio,& Spiritu Sancto credit,certe hic non poteſt integer Chriſtianus dici, qui aliquid de gentilitate cuſtodit: vt igitur Chriſtiani ab hoc ſe errore gentilitatis ſubducerent,hanc pietatis,& abſtinentiæ obſeruantiam excogitarunt,ad confuſionem gentilium,& confirmationem religionis: quorum, vt ſuperſtitio euanuit,& abolita fuit,Chriſtiani etiam ieiunium remiſerunt,& dies illos cum Allelu-iah lætos tranſigere cœperunt, Circumciſionem Chriſti,& noui anni initium feſtiuiſſime celebrãtes; quamdiu enim durauit venenum, tamdiu alexipharmacum adhibitum;quamprimum venenum ablatum, mox medicina ſubtracta; veluti quamdiu ſtetit Gentiliſmus, tãdiu Chriſtiani ab Idolothytis cauerunt,vt Tertullianus,Origenes,& Cyprianus docuerunt.

Zach. PP. in Cõc. Rom. c. 9.& habetur 26. q.vlt. ſi quis. & c. non obſeruetis.& non licet.

Canon. 16.

Noe Ianus creditus, & vere totius orbis Rex fuit errore tamen gentilium,ut Deus cultus qui homo erat.

Tertul. de idolo.& cibis Iudaicis. Orig. contra Celſum. Cypr. de lapſis.

DE

DE IEIVNIO POST EPIPHANIAM.

MVlti ſunt monachi,& fratres,atque religioſæ fæminæ, qui aliam Quadrageſimam,præter communem toti populo Chriſtiano indictam,ieiunantes peragunt,quam incipiunt mox poſt feſtum Epiphaniæ,& ad Sexageſimam vſque producunt,partim inſtituta maiorum ſequuti,partim libera huius abſtinentiæ optione vſi: Dominicis diebus exceptis, quibus tamen quadrageſimalibus cibis veſcuntur;atque ita fit,vt octoginta diebus ſemel refectionem ſumant; duodecim Dominicis,qui intercedunt,bis,& ſe mutuo excipiũt, & complectuntur duæ Quadrageſimæ, & finis vnius fit initium alterius. Benedictorum hoc ieiunium à fratribus Minoribus appellatur;ad quod B.Franciſcus, eius inſtituti autor, noluit quẽquam ſuorum obligare,ſed liberum illis reliquit, id ieiunium, vel obſeruare,vel relaxare: obſeruantibus tamen peculiarem à Deo benedictionem deprecatus;& hinc Benedictinorum ieiunij nomen ortum.Hanc tamen ieiunij obſeruantiam longius repetunt Benedictini monachi,& Dominicani fratres,qui ab idibus Septembribus, hoc eſt à feſto exaltationis S.Crucis,vſque ad Paſcha,per cõtinuos ſeptem menſes ieiunium producunt,in quibus ſemel quotidie veſcuntur,omnino carnibus abſtinent, & ferijs ſextis, & in Aduentu etiam à lacticinijs,& ouis:Synodus tamen Turonica 2.tempore Pelagij 1.Pont. circa annos Chriſti 560.can.13.mitius ſtatuit,vt monachi poſt Epiphaniam,vſque ad Quadrageſimam, ter in ſeptimana ieiunarent.Verum hæc abſtinentia ſolis monachis ſolum indicta,non ſecularibus clericis,aut laicis, & in Metropoli Galliarum Turonenſi,non alibi.Verum S. Fructuoſus Abbas Benedictinus, & pater multorum cœnobiorum in Hiſpania,& poſtea Epiſc. Dumiẽſis,& Archiepiſc.tandem Bracharenſis in Luſitania,qui quarto Cõcilio Toletano interfuit,Siſenando Rege,anno D.658. ſeuerius aliquid in monachos ſuos ſtatuit,circa ieiuniorum obſeruantiam, & ciborum delectum,in hũc modum:Carnem cuiquam monacho nec ſumendi,nec guſtandi eſt conceſſa licentia,non quod creaturã Dei iudicemus indignam,ſed quod carnis abſtinẽtia,& apta monachis æſtimetur,ſeruato tamen moderamine pietatis erga ægrotos,& infra: Quod ſi quis monachus violauerit,& contra ſanctionem regulæ,vſumq. veterum,veſci carnibus præſumpſerit,ſex menſium ſpatio retruſioni,& pœnitentiæ ſubiacebit,ſed hæc ſolum in Hiſpania, & monachis Benedictinis, qui S. Fructuoſi diſciplinæ, & magiſterio ſubiacebant,locum habuerunt,quantumuis inter communia decreta Gratiani referantur. Abſtinentiam vero à certis ciborũ ſpeciebus tempore ieiuniorũ,non propter abominatioñẽ eorũ,ſed *De conſecra. diſt.5. carnẽ.*

vt mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, caroque contra Deum inſurgens, inediæ tormentis, atque ſupplicijs puniatur, fieri cenſeamus; hinc Carthuſiani perpetuam à carnibus abſtinentiam profitentur; eademque dum valetudo permittit Minimi obſeruant, Benedictini, & Dominicani eidem ſe obſeruantiæ aſtringunt: ſed in ijs carnibus veſci, pœna eſt quidem, non culpa: valetudinarij, infirmi, & debiles eximuntur.

DE IEIVNIO ROGATIONVM.

Rogationes, quas Græci lytanias, ideſt, ſupplicationes vocant, vetuſtiſſimæ ſunt, vt quæ non ſolum apud Occidentales, verum etiam Orientales Eccleſias olim in maximo vſu, & frequentata extiterint: quæ, expiationis gratiâ, indici publicè conſueuiſſe, multa exempla declarant; quamuis primus earum inſtitutor, & certa origo ignoretur, Has ipſas à magno Gregorio cognomento Taumaturgo, in Eccleſia Neoceſarienſi, cuius erat Epiſcopus, peragi ſolitas, autor eſt Baſilius, qui vixit temporibus Decij imperatoris, anno 266. Eaſdem S. Mamertus in Gallia Narbonenſi, Vienenſis Epiſcopus in Eccleſia ſua renouauit, & auxit, in ampliorem que formam digeſſit; in magnis illius vrbis ad Rhodanum ſitæ calamitatibus, peſte, inquam, & terræmotibus, incendijs, feris, quæ in ciues ſæuiebant, terrificis lemuribus, & horrendis ſpectris; & nocturnis laruis eam continuo vexantibus, tempore Valentiniani tertij, anno circiter 452. ducentis poſt fermè, quam in vſu iam fuerant in Eccleſia Neoceſarienſi. Anno demum 590. Tiberi maxima, quæ hominum memoria extaret, alluuione Vrbem Romam inundante: & cellas vinarias, atque Apothecas opificum putreſcentibus aquis, & limo replente, ingens peſtis ſubſequuta, quæ cum ſæuiſſimè per totam vrbem graſſaretur, Pelagium innocentiſſimæ vitæ virum, qui tunc Eccleſiæ Dei præerat, ſuſtulit, anno Domini quingenteſimo nonageſimo, cui ſuffectus Gregorius cognomento magnus eaſdem Litanias, ſeu ſupplicationes, aut rogationes, vt conuenientiſſimas ad auertendam, & placandam iram diuinam, eiuſque opem, & clementiam implorandam, proceſsionibus clero, & populo indictis, publico in conuentu decantari fecit; quibus precibus Litaniarum auditis, diuino tandem furore ſedato, peſtis ceſſauit, & ſalus vrbi reſtituta 25. Aprilis, natali ſancti Marci Euangeliſtæ, anno Domini quingenteſimo nonageſimoprimo, centum triginta poſt priores à beato Mamerto in ſua Eccleſia Viennenſi decantatas, Clerus, & populus vniuerſus tanti beneficij memores, eumdem ritum quotannis repeten-

Baſilius epi. 63. ad Neoceſarienſes.

petendum perpetuis ſeculis voluerunt. Et licet beati Gregorij lytaniæ poſteriores, ſancti Mamerti antiquiores extiterint, illæ maiores, hę minores appellatæ fuerunt, quod illæ à Pontifice maximo, hæ ab Epiſcopo, illæ in vrbe Roma, hæ in priuata quadam ciuitate inſtitutæ fuerint. Gregorianæ vno die natali S. Marci 25. Aprilis, Mamertinæ tribus ante Aſcenſionem Dominicam diebus celebrantur: & peculiari nomine rogationes, ſeu litaniæ minores dicuntur: vtraſque populus Chriſtianus cunctus quotannis, diebus ſtatutis, ſumma auiditate celebrandas ſuſcepit, quas feſtiuas eſſe & omnino feriandum in ipſis iure decretum, deinde Concilium Aurelianenſe primum, à Gallicanis Epiſcopis celebratum, in hæc verba decreuit: Rogationes, id eſt litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita vt præmiſſum triduanum ieiunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitate ſoluatur, per quod triduum, ſerui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuerſa conueniat; quo triduo omnes abſtinent, & Quadrageſimalibus cibis vtuntur. Concilium hoc Aureliani vrbe Galliæ inſigni celebratum, tempore Hormiſdæ Pontificis, cui ſubſcripſerunt 31. Epiſcopi anno 492. quo eodem Clodoueus primus huius nominis Francorum Rex victoriam de Allamannis, Gothis, & Burgundionibus, tribus fortiſſimis gentibus parta, ad preces Clotildis vxoris ſuæ, fœminæ religioſiſsimæ, infidelitate relicta, baptizatus à S. Remigio, Chriſtianam fuerat religionem profeſſus. Epiſcopi autem Gallicani, vt gratias Deo altiſsimo redderent, de reductione Regis ad Catholicam fidem, & publici beneficij confirmatione, has tunc per tres dies ante Aſcenſionem Domini litanias, exemplo S. Mamerti, renouarunt; triduanum Clero, & populo illis diebus ieiunium indixerunt, ſimile Quadrageſimali, captiuis ab opera relaxatis, vt his etiam feſtiuitatibus liberè poſſent intereſſe. Quid autem eſſent iſtæ litaniæ, ſupplicationes, vel rogationes. Concilium Moguntinũ, anno 813. inſtante Car. Magno Imp. coactũ, can. 32. explicuit in hæc verba: litaniæ gręco nomine appellantur quæ latinè dicũtur rogationes: inter litanias autẽ, & exomologeſes, hoc differt, quod exomologeſes pro ſola peccatorũ confeſsione agantur, litaniæ verò indicuntur, propter rogandũ Deum, & impetrandum in aliquo miſericordiam eius: ſed iam nunc vtrunque vocabulum ſub eadem ſignificatione habetur. Hæc illius Canonis verba, quibus ſignificatio, vſus, & diſcrimen litaniarum ab exomologeſi, & confuſio vtriuſque breuibus enodantur. Litaniæ autem vulgo proceſſiones, dicuntur ſeu progreſſiones ſicut quando turmatim gradiendo Chriſtiano populo preces funduntur ad Deum, ſiue id litanijs fiat, ſiue pſalmis & hymnis, alijsuè Eccleſiaſticis canticis; cuius ritus meminit Tertullia-

De conſecra. diſt. 3. c pronunciandũ Concil. Aurelianenſ. 2. c. 29 & habetur de conſecrat. diſt. 3. c. Rogation.

Tert. ad vxorem l. 2. c. 4. Hier. ep. 22. ad Gaud. & 7. ad Lætum ne ſuas filias procedere patiatur.

tullianus, & Hieronymus,& canon. 17. Concilij Laodiceni. Vt igitur ſolemnes ritus recitandi illis tribus diebus litanias, & proceſſione,vel progreſſu ordinatim clero,& populo incedendi, Chriſtiana vbique terrarum plebs imitata, ita ieiunium non admiſit,quod durum videretur ſuſceptu inter illas 50. ferias, in quibus Eccleſia ieiunium omnino relaxarat: ab alia igitur feſtiuitate maiori præuenti, hanc clerus ſecularis, & laici omnino abſtinentiam recuſarunt, præter Mediolanenſes, qui quatuor priores Quadrageſimæ dies citra obſeruantiam Ieiunij tranſigentes, in iſto triduo rogationum reſtituunt, & in obſeruantiam capitis Quadrageſimæ, ieiunio, pari Quadrageſimali compenſant: Monachi autem, & Fratres omnes prorſus ieiunant, vel minimum, à carnibus,& ouis,cibiſq. lactarijs abſtinent, prout varia ſunt quorumlibet inſtituta: Neque tamen Concilij Aurelianenſis decretum ad alios,quam Gallos illius ſe regionis extendit, & iiſdem non præceptum, ſed conſilium magis,& ſuaſio fuit, neutrum tamen reliquis nationibus, & populis extitit; ſi quando tamen à Gallis in illa prouincia obſeruatum, contraria iamdiu conſuetudine abrogatum.

DE IEIVNIO ANTE NATIVITATEM *Sancti Ioannis Baptiſtæ.*

TAnta in veneratione natiuitas Sancti Ioannis Baptiſtæ præcurſoris Saluatoris noſtri Chriſti Ieſu, à fidelibus habita, vt longa eam duxerint obſeruantia ieiunij præuenire, quo gaudium ingens, & lætitiam cunctorum, illo die ſuſceptam,non niſi multorum dierum mœror & luctus præcederet, ac purificatione, & expiatione animorum præueniret. A ieiunio namque Pentecoſtes eam obſeruantiam pleriq. ſpontanei aſſumunt, vſque ad natalem ipſius Sancti Ioannis Baptiſtæ, quæ tanto longior, aut breuior eſſe ſolet, quanto Pentecoſtes feſtiuitas tempeſtiuius, aut tardius ſuccedit, ac celebratur. Vt autem illud tempus ſub aliquo certorum dierum numero comprehenderetur, Concilij Salegunſtadienſis canon primus, ſub Aribone Moguntino Archiepiſcopo, anno 1023, celebrati, in hanc formam ſtatuit; vt quatuordecim dies omnes Chriſtiani ante feſtiuitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ in abſtinentia ſint carnis, & ſanguinis, & ante Natiuitatem Domini ſimiliter. Hoc autem peculiare eſt in indictione iſtius ieiunij, vt non ſolum à carnibus, ſed à ſanguine quouis præcipiatur abſtinentia, quod & Græci,& Orientales Chriſtiani in Quadrageſima obſeruant, vt à piſcibus,qui ſanguine præditi ſunt, omnino abſtineãt ex anguibus ſolum veſcantur, oſtreis, inquam, cammaris, ſquillis,

locuſtis,

locuſtis, & chocleis: cœterum, oleribus, & fructibus tam recentibus quam ſiccis vtuntur. Monachi inter ipſos hanc perpetuò à carnibus, & omnes Epiſcopi abſtinentiam profitentur.

DE IEIVNIO ANTE NATALEM DOMINI *Aduentus dicto, & quæ de illo à Maioribus tradita.*

ANte quadringentos annos, ſub appellatione ieiunij aduentus nulla memoria extabat, ſiue Conciliorum generalium, aut prouincialium canones, ſiue decreta Pontificum, vel ſcripta veterum Patrum conſulamus. Sub nomine autem ieiunij ante Natalem Domini, nonnulla in quibuſdam concilijs prouincialibus reperiuntur, & à maioribus ſcripta, à Concilijs autem generalibus; vel à vetuſtiſſimis illis Patribus, nihil huiuſmodi traditum, neq. ab antiquiſſimis monaſticarum regularũ inſtitutoribus Pachomio, Baſilio, Auguſtino, & Benedicto, & quidem in Concilio Turonenſi 2. canone 13. monachis iubetur, vt in Septembri toto, & in Nouembri ter in ſeptimana ſecunda, quarta, & ſexta die ieiunent, exceptis ijs, qui aliqua infirmitate conſtricti ſunt; & de Decembri vſq. ad Natalem Domini ieiunent: fuit autem celebratum hoc prouinciale Concilium Turonis in Gallijs, ſub Pontificatu Pelagij 1. Pontificis, anno circiter 555. quo monachis dumtaxat ieiunium à principio menſis Decembris vſq. ad Natalem Chriſti indicitur; quod abſtinentiam 24. dierum complectitur. Concilium deinde Matiſconenſe prouinciale tempore Pelagij ſecundi Pontificis; prædeceſſoris Gregorij Magni anno circiter 580. canone 9. ſtatuit, vt à feria S. Martini vſq. ad Natalem, ſecunda, quarta, & ſexta Sabbathi ieiunetur, & ſacrificium debito ordine, quemadmodum Quadrageſimale celebretur: quo canone feſto ſancti Martini, id eſt, ab vndecima die Nouembris, vſq. ad 24. Decembris indicitur ieiunium; ſed non explicatur ſi monachis, clero, ſiue populo, aut omnibus ſimul imperetur, interſunt autem intra hoc tempus ſex hebdomadæ, ex quibus colliguntur decem, & octo abſtinẽtiæ dies: Sabbathum autem canon hebdomadã vocat, inſtar illius loci Euangelici: ieiuno bis in Sabbatho, ideſt in hebdomada, ſecundam, quartam, & ſextam Sabbathi, ferias ſeptimanæ appellat. Innocentius prætereà tertius, anno circiter 1215. ieiunij Aduentus expreſſe meminit ad Archiepiſcopum Bracharenſem ſcribẽs: Ieiuniũ, inquiens, & apud nos in Aduentu Domini agitur. Concilium etiam prouinciale Salegunſtadienſe, poſt Matiſconenſe longo tempore celebratum à Stribone Moguntino Archiepiſcopo, anno Chriſti 1023. canone primo præcipit, vt quatuordecim dies omnes Chriſtiani ante feſti- *Extra de obſ. ieiun. c. ij.*

feſtiuitatem S.Ioannis Baptiſtæ in abſtinentia ſint Carnis,& ſanguinis;& ante Natiuitatem Domini ſimiliter. vbi quatuordecim dierum ieiunium ante natiuitatem S.Ioannis Baptiſtæ, totidem ante Natalem Chriſti populo omni imponitur.Poſt anno D.1258. Concilium Oxonienſe prouinciale in Anglia,Henrici 3.Regis anno 41. celebratum, canone 5. poſt commendata quatuor temporum ieiunia, proximam ſeptimanam ante Natalem Domini iubet ieiunio celebrari.Iſidorus etiam meminit ieiunij kalendarum Nouembrii, quod diuina authoritate initiatum,vel inſtitutum eſſe, Hieremiæ Prophetæ teſtimonio confirmat,qui dicit:Poſtquam Baruch legiſſet ex volumine ſermones in domo Domini,factum eſt in menſe nono,prædicauerunt ieiuniũ in conſpectu Domini omni populo Hieruſalem.Ex hac etiam authoritate diuinæ ſcripturæ Rabanus Maurus Abbas Eccleſiam morem obtinuiſſe dicit, vniuerſale ieiunium hac obſeruatione celebrare,quod ieiunium cœptum nono menſe, ad decimum vſque extendi, ideſt,vſque ad Natalem Domini pertingere,tradit: congruaq. diſpoſitione à magiſtris Eccleſiæ hoc loco ieiunium Quadrageſimale fieri conſtitutum fuiſſe,vt ante diem Natalis Domini,ieiunio, & abſtinentia noſmetipſos caſtigemus, quatenus venientem Redemptorem digna conuerſatione ſuſcipere poſſimus;ſicut ante tempus reſurrectionis eius, carnem noſtrã affligimus,vt reſurrectionis gratiam, quæ per ipſum fit, conſequi mereamur. hæc partim ab Iſidoro Archiepiſc.Hiſpalenſi,partim à Rhabano Mauro Benedictino monacho, qui Iſidorum tranſcripſit,de ieiunio noni menſis,vſque ad decimum penes natalem Chriſti aſſerta ſunt.Obijt autem S.Iſidorus quarta Aprilis, anno 635. qui fuit vltimus Siſenandi Regis;& Rhabanus 815.Rodulphus prętererea á Riuo,alias à Breda,decanus Tungrenſis:Aduentus, inquit, Domini apud Romanos incipit prima Dominica poſt craſtinum Catharinæ.Ambroſianus aduentus habet ſex ſeptimanas,& incipit Dominica poſt Martini.Apud Romanos etiam,in Aduentu Domini ieiunium agitur,& cantus in iucunditate cantatur; partim triſtitiæ,quia Te Deum,Gloria in excelſis, & Ite Miſſa eſt reticetur: obijt iſte autor anno Domini 1403. Guilielmus deinde Durandi; Ieiunium,inquit,Aduentus,partim eſt exultationis,& partim mœroris,exultationis eſt,ratione primi aduentus,ſcilicet in carnem, de quo mentio fit in hoc tempore; mœroris eſt propter ſecundum aduentum,ſcilicet ad iudicandum,de quo fit etiam ibi mentio; & ideo in eo quædam cantica lætitiæ dicuntur,propter aduentum miſericordiæ,& exultationis;& quædam ſubticētur,& ieiunatur propter aduentum ſeueræ iuſtitiæ,& mœroris, ideo Allelu-iah cantatur.

S. Iſid. l. 1. de off Eccl. c de ieiun. kal. Nouembris.

Rabanus ca. de ieiun ante nat. Dom.

Rudolph. in l. de canonũ obſeru. propoſit. 16.

Gul. Dur. l. 6 rat. diu. off. c 2. de temp. aduent.

Hæc

Hæc prorſus ſunt, quæ a Cōcilijs prouincialibus, & à ſcriptis Patruum de ieiunio ante Natalem Chriſti, & à recentioribus de ieiunio aduentus Domini reperire potui. Duas autem temporis obſeruantias, & eas diuerſas fuiſſe huius ieiunij Rodulphus prodit: alij nāque obſeruantiā ieiunij Aduentus in 3. hebdomadas, iure Rom. prorogabāt; alij, more Ambroſiano, in 6. à feſto mox s. Martini, vſq; ad natalēChriſti. Cōcilia autē prouincialia, quę citauimus, partim Rom. partim Ambroſianū ritū ſequuta, partim vtrūq. imitata fuere in ieiunio ante natalēChriſti indicēdo: & quidem Turonēſe, ſolis monachis id indixit. Matiſconenſe autē, Salegunſtadienſe, & Oxonienſe etiam laicis imperauit; Innocentius tertius ſolum expreſſit vſum fuiſſe tunc in Aduentu ieiunandi, ſed quamdiu, qualiter, & à quibus præcipue id fieret, non expreſſit. Quare inquirendum meri to nobis erit, ſi aliquando ieiunij iſtius obſeruantia fuerit ita præcepta, vt ad eam, ſub læthali peccato, Chriſtiani laici, monachi, vel clerici ſeculares tenerentur.

IEIVNIVM ADVENTVS FVERIT *ne aliquando ſub præcepto Chriſtianis iniunctum.*

IEiunium aduentus, ſeu ante Natalem Domini numquam toti Chriſtiano populo, ſub præcepto obligante ad peccatum mortale iniunctum fuiſſe, ex multis clare liquere poteſt. Aut enim id Apoſtolica traditione fieret, Canonibusue vniuerſalium ſynodorū aut decretis Pontificum, vel certe cōſuetudine generatim recepta, quæ legem condere potuit, & in præcepti vim, ad reatum mortalē obligantem, transferre. Cum igitur nec ex Apoſtolica traditione, nec vniuerſalis alicuis ſynodi canone, non ex decretis Pontificum Maximorum, non ex conſuetudine generatim recepta, hæc obſeruantia ieiunij Aduentus ſtabiliatur, vim obligandi ad pœnam ſalutis æternæ concernens, conſequitur, nec olim, neque nunc huiuſmodi præceptum extare, neque ad reatum mortalem obligaſſe. Et quidem ſi traditione Apoſtolica ea fuiſſet obſeruantia ieiunij commēdata, aut intra canones, quos ipſi Apoſtoli ediderunt (quos plurimi viri pij, & docti ipſorum legitimos eſſe cenſuerunt) mentio aliqua haberetur, ſicut etiam de Quadrageſima; aut aliqui vetuſtiſſimi Patres per manus acceptam inuulgaſſent, vt Clemens Romanus, Ignatius, Origenes, & demum Hieronymus, qui Quadrageſimæ abſtinētiam, quartæ, & ſextæ feriæ dumtaxat fuiſſe Apoſtolicam inſtitutionem profitentur: ſicut & s. Leo Papa 1. qui ab hinc mille ferme ducentis annis vixit, & ieiuniorum Eccleſię obſeruantiſſimus extitit, & in ijs commendandis, tot pijs, & elegantiſſimis homilijs vſus, vt

populum ad Apoſtolica ieiunia ſuſcipienda hortaretur, nulli prorſus verbum de ieiunio Aduentus, vel ante Natalem edixit, ſed Apoſtolicam inſtitutionem Quadrageſimæ, & quartæ, & ſextæ feriæ, præſertim tribus anni temporibus tantum agnouit; ſicut & vetuſtiſſimi, qui illum præceſſerunt, & plerique etiam alij, qui eum poſtea ſubſequuti fuere. Nam quod Polidorus Virg. Vrbinas ſcripſit, Apoſtolorum decretum fuiſſe, vt tres hebdomadæ ante Natalem Domini, vt ſolemnes celebrarentur, adiunxiſſeq. illis ieiunium, quod aliquando publice ſeruatum ferebatur, nunc vero monachos maxime omnium obſeruare, citra vllum certum, ac firmum fundamentum aſtruxit: fuiſſe namque inſtitutum Apoſtolicum ieiunium aduentus, ex veterum patrum teſtimonijs conſtabiliendum foret, vt fides adhiberetur: quilibet enim poteſt arbitratu ſuo inſtitutũ Apoſtolicum dicere, & facere, quod nuuera numquam fuit, neque ex ea origine recte, citra authoritatem, & ſcripta priſca repeti poteſt, cum in re veterrima vetera ſaltem teſtimonia adhibenda ſint. Quod ſi per traditionem de manu in manum haberi dicatur, oporteret per manus priſcorum primum tranſijſſe, quam ad poſteriorũ deueniret: & regula mihi Auguſtini valde placet, inter Gratiani decreta relata, quæ habet: Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri; conſtat autem nullam mentionem veterrimis Patribus de ieiunio Aduentus, ſiue ante Natalem factam, nec nunc ab alijs, quam à monachis, & id citra præceptum obligans ad peccatum mortale, obſeruari, minoribus ſolum exceptis; ergo nec traditio Apoſtolica cenſeri debet. Synodus deinde vniuerſalis nulla (quod ſciam) extat, quę huius ieiunij aduentus, ſiue ante natalem, exceptis tribus ferijs tēporum, quæ incidunt in Decembrem, meminerit; tantum abeſt, vt ſub præcepto cunctum populum Chriſtianum ad huiuſmodi obſeruantiam deuinxerit. Prouincialia quædam Cōcilia, quæ retulimus, id quidem ieiunium indixerunt, ſed vel monachis tantum, vel populis dumtaxat ſibi ſubditis: nam in alios, qui ſuæ iuriſdictionis non erant, nullam habebant ad ſimilem obſeruantiam obligandi authoritatem; & ex forma canonum de hac re editorum nullum colligitur præceptum, quod mortali peccato aſtringat. Neque Pontificum Romanorũ vlla decreta extant de Aduentus ieiunij obſeruatione, quæ toti Chriſtiano populo, aut aliquibus, ſub pœna ęternę damnationis, indicatur. In decretis namque à Gratiano collectis, Pontificum Maximorum, & veterum Sanctorum Patrum, quantũuis multa de ieiunijs Quadrageſimę, quatuor temporum, ferię 6.

Polid. Vir. de inuen. rerum. lib. 6. c. 3.

Aug. ad Ian. ep. 118. c. 1. & habet. diſt. 12 c. illa.

& Sab-

& Sabbathi, nullum de ieiunio Aduentus, vel ante Natalem monumentum extat. Nam quod habetur extra Gratiani decreta, & longo poſt tempore ſucceſſit, anno circiter 420. ex Innocentij 3. reſcripto, ad conſultationem Archiepiſcopi Bracharenſis: & nos etiam ieiunium agimus in Aduentu Domini, ancipitis profecto ſenſus verba ſunt, neque certi aliquid colligitur, an de ſeipſo ſolum loquatur, aut de Romano populo, aut territorio, aut de prouincia Italiæ. Certum eſt in Bracharenſi metropoli illud ieiunium tunc non in vſu fuiſſe, neque præcepti vis inde aliqua eruitur, quam poſſet exprimere Sanctiſſimus Pontifex, ſaltem in celeberrimo concilio vniuerſali Romæ habito ad Lateranum, anno 1213. ideo Lateranum maximum dictum, cui interfuerunt Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus Patriarchæ, Metropolitani ſeptuaginta, Epiſcopi 400. Abbates duodecim, priores conuentuales 800. & tamen nihil ibi de ieiunio aliquo præcipiendo, vel renouando, tractatum. Inter oracula præterea diuina, Birgittæ viduæ Sueuiticæ oſtenſa, & quantum de antiquis inſtitutionibus ſui ſæculi mores degeneraſſent, & abuſus excreuiſſent, de ieiunijs ab Eccleſia ſtabilitis dicitur: Statutum fuit, vt omnes Chriſtiani ieiunarent in Quadrageſima, & in quatuor anni temporibus, & aliarum feſtiuitatum vigilijs, quæ pene omnibus permanent ſatis notæ, niſi illi, qui graui infirmitate, aut in magna anguſtia eſſent conſtituti. Vides numerari ieiunia Eccleſiæ, ad quæ homines ſub præcepto tenentur, neque alia præter Quadrageſimam, quatuor tempora, & vigilias in ea obſeruantia contineri dicantur: nam ſexta feria, & Sabbathum non tam eſt ieiunium, quàm à carnibus ſolum abſtinentia, cum bis in iiſdem laici, & clerici ſeculares reficiantur, & de ratione veri ieiunij ſit vna commeſtio, ad quam tamen populus non arctatur. At conſuetudo numquam in Eccleſia viguit, vt ieiunium Aduentus, ſub præcepti obligatione, à quoquam ſuſciperetur; laici, & clerici ſeculares aliquot, proprio motu arbitrio, monachi, & fratres inſtitutionibus maiorum aſtricti, citra tamen peccati mortalis noxam ieiunant, exceptis Minoribus, quos Beatus Franciſcus arctius voluit aſtringere, & macerare, ac ſub pœna amiſſionis vitæ æternæ præcepit eis ieiunium à principio Nouembris, poſt feſtiuitatem mox omnium Sanctorum, vſque ad Natalem Domini, & ſingulis ſextis ferijs per totum annum obſeruare. Nullus tamen Sanctorum veterum Patrum, qui monachorum, & fratrum regulas, Spiritu Sancto ducti, inſtituerunt, deprehendimus ieiunium Aduentus vel indixiſſe, vel ſub præcepto obſeruari mandaſſe. In regula namque S. Pachomij, antiquiſſimi cœnobiorum multorum patris in Ægypto, quam

Extra de obſeruat. ieiun. c. 46. cōſiliū

Birgit. reuel. lib. 4. c. 33.

Hieronymus, primum ex Syriaco ſermone Græce, & ex Græco deinde Latine vertit, ita primo canone legitur: In hebdomada die 4. & ſexta Sabbati ab omnibus ieiunatur, excepto Pentecoſte: alijs diebus comedunt; qui volunt poſt meridiem; & in cella ſimiliter menſa ponitur propter laborantes, ſenes, pueros, æſtuſque grauiſſimos. Pachomius, præter Quadrageſimam, nulla alia ieiunia ſuis monachis ordinauit, præter quartam feriam, & ſextam ſingulis hebdomadis, præter illas, quæ incidunt intra quinquaginta illos dies, qui interueniunt à Paſcha, vſque ad Pentecoſten. Non ergo ieiunium aduentus ſua ætate extabat: monachis namque ſuis illud proculdubio alijs indixiſſet.

Baſil. in reg. breuior. inter reg. 139. S. Baſilius in regula: Omnino ieiunium, & cibus ex ratione pietati accommodata aſſumi debent: vt videlicet quotieſcunque mandato Dei per ieiunium ſatisfaciendum ſit, ieiunemus: quotieſcunque item mandatum Dei cibum deſideret, quo corpus confirmetur, edamus, non vt helluones, ſed operarij Dei, &c.

Sanctus Auguſtinus præterea in regula, ſectatoribus ſuis tradidit: carnem veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſcæ, & potus, quantum valetudo permittit; quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat. Sanctus Benedictus in regulæ capite 41. à Pentecoſte quarta, & ſexta feria ſuos iubet monachos ieiunare; & ab Idibus Septembris, vſque ad caput Quadrageſimæ ad nonam ſemper refici fratres ſtatuit; quod & obſeruant fratres Prædicatores, à feſto s. Crucis, vſque ad Paſcha, ſeptem continuis menſibus ieiunium producentes. Quatuor igitur iſtarum primarum regularum Patres Sancti inſtitutores nihil de Aduentu, nihil de ieiunio ante Natalem tradiderunt. Signum igitur non fuiſſe tunc ieiunium huiuſmodi in vſu; alias perperam feciſſent, ſi ieiunio conſueto, & à populo probato ſuos diſcipulos vellent eximere, & tãto ſcãdalo cæterorum, & prauo exemplo eam ſingularitatem affectaſſe; & certe, qui tot ieiunia impoſuerunt monachis, mirum eſſet hæc Aduentus adimere, quæ eſſent communia laicorum, & ſecularium clericorum. Non igitur ætate Pachomij, Baſilij, Auguſtini, & Benedicti ieiunij in Aduentu ſpeciatim obſeruãtia extabat, quæ ſi eſſet, non vtique illam ſilentio præterijſſent, & in ſuis regulis veluti dehoneſtaſſent. Quod ſi vnquam conſuetudo ieiunij, tempore aduẽtus fuit, nunquam ad præceptum obligare intellecta eſt: neque enim poſteriores fundatores religionum obſeruantiam eam ieiunij ſuis, citra peccati reatum, edixiſſent, ſi in ea populi conſuetudine præceptum aliquod ad mortale peccatum obligans contractum eſſe ſentirent. Vt autem præceptum ad mortale pec-

peccatum obliget; oportet id exprimi, & explicari, aut in virtute obedientiæ, aut ſub præcepto formali, ſiue ſub pœna excommunicationis latæ, vel ferendæ ſententiæ; ſi ſub pœna depoſitionis, ſuſpenſionis, vel interdicti, aliquid ſtatuatur, tum enim ex magnitudine pœnæ appoſitæ, intelligitur præceptum ad mortalem obligationem; verba autem exhortatoria neutiquam præcepta ad mortale peccatum obligantia inducunt, qualia ſunt, decernimus, ſtatuimus, rogamus, volumus, mandamus, fieri iubemus, & ſimilia; ad ea autem, quæ ſunt de conſilio, homines ſub præcepto non obligantur, niſi ſecundum præparationem animi, ſi oportet. Colligamus igitur tandem ex ijs, obſeruantiam ieiunij in Aduentu, neque traditionem eſſe Apoſtolicam, non Concilij generalis canone, non Pontificum Romanorum decretis, non conſuetudine inueterata ita probatam, vt violatores præcepto ſubijciantur peccati mortalis; quod non incurrunt, niſi Quadrageſimæ, quatuor temporum: & vigiliarum ieiunia relaxantes.

AN EXPEDIRET NVNC *Ieiunium Aduentus ſub præcepto indicere vniuerſo populo.*

CAuere valde debuiſſent, qui alijs præſunt, ne illos multis præceptis onerarent, præſertim in tanta temporum calamitate, quando adeo Chriſtianus populus noui oneris eſt impatiens; multa namque ſibi licere, ſed non omnia expedire, dicebat Apoſtolus: *1. Cor. 6. & 16.* idem ego de ieiunijs denuo vniuerſo populo Chriſtiano ſub præcepto ad mortale peccatum obligante indicendis ſentirem, licere quidem Pontifici Maximo id facere, certum, cui cunctus populus Chriſtianus ſubeſt, & ad quem vnum primaria, & ſuprema poteſtas ſpectat, & paſtoritia cura gregis Dominici, & Reipublicæ totius Chriſtianæ, cuius caput eſt, vicariam Saluatoris noſtri gerens in terris authoritatē, pro arbitrio leges neceſſarias, vel vtiles condens, vel abrogans, à quo vnico, poſt Chriſtum redēptorem noſtrum, prouincialia Concilia in ſua prouincia, Epiſcopi in ſuis diœceſibus, præfecti primarij monachorū, & fratrū in ſuis cœnobijs, & cōuentibus, facultatē cōdendi, nouos canones & regulas monaſticas ampliandi, & reſtringēdi ſuſcipiunt, cuius nō accedēte conſenſu, omnia tandē ſunt irrita, & inania. Poſſet igitur hæc ieiunia ad mortale peccatum obligantia, quiſque vbi eius authoritas viget, promulgare, & ſuos ſubditos ad eorum obſeruantiam aſtringere; ſicut & Pontifex ad idem cunctum Chriſtianum populū valet obligare. Verum ſi expediat nunc facere, dicam ingenue,

quod ſentio: multa enim mihi ſuccurrunt, quæ hanc nouam ieiuniorum obſeruantiam videntur omnino diſſuadere: primum, quod in hac abſtinentia Aduentus ſtabilienda, non vnum, ſed plura præcepta inculcarentur, ad quæ antea non obligabatur populus Chriſtianus; vt quæ non vno die, non vna aliqua hebdomada, ſed pluribus, non vno anno, ſed quolibet eſſent huiuſmodi ieiunia iteranda: minimum enim Aduentus 18. maximum 22. dies complectitur: prout erit productior, aut contractior, quibus erit ieiunium celebrandum, demptis etiam vigilijs Sanctorum Apoſtolorum Andreæ, & Thomæ, & Natalis Domini, & quarta, ac ſexta feria, & Sabbatho quatuor temporum; reſidui adhuc ſunt aut 22. aut 17. in quibus ſemel populus refici deberet, aut à carnibus in quatuor Dominicis abſtinere, vt fit in illis, quæ tempore Quadrageſimæ intercedunt: viginti autem duo præcepta, aut minimum 17. denuo ad peccatum mortale obligantia arduum eſſet imponere, & difficile impoſita populum tollerare, totidem laqueis expoſitis, & retibus expanſis, quibus dæmones malis ſuis artibus innumerabiles capiant animas; Vnicum præceptum ieiunij, primis parentibus noſtris propoſitum, vbi tanta erat copia fructuum ſelectorum, quibus ſuauiſſime, vſque ad ſatietatem, & quoties vellent, veſcerentur, non retinuerunt, ſed ieiunium tandem gula violarunt; quid facient de 22. præceptis eorum filij, qui nec maiorem illis gratiam, ſapientiam, aut conſtantiam ſortiuntur, & faciliores multo ſunt, & procliuiores ad multas alias incontinentias admittendum. Quare ex periculo, quod imminet valde timendum, ne noua obſeruantia ieiuniorum ægre ſuſcepta, in decipulam vertatur animarũ; veteribus quidem ieiunijs aſſueti, facilè acquieſcimus, nouis forſitan aduerſabimur; & qui ſuo arbitrio nunc ieiunium in Aduẽtu obſeruant, non illis videtur durum, quia poſſunt meritorie proſequi, & quando propter rem ſibi bene viſam volunt, citra vllum graue peccatum relaxare, quod ne vtiquam facere poſſent, ſi grauiori eſſent obſeruantia ieiunij aſtricti. Tot autem præcepta in Eccleſia, progreſſu temporum, ad hæc noſtra vſque ſæcula increuerunt, vt vix memoria teneri à viris doctis, vix à populo, ob eorum ignorãtiam, ſeruari poſſint, accumulare autem noua præcepta, & in tanto numero, & perpetuis duratura temporibus, moleſtiſſime perferrent Chriſtiani, laici, & clerici ſeculares, & etiam regulares, qui peccati mortalis pœnam formidabunt, qui libere antea, & libenter etiam ieiunabant. Conqueruntur ſæpiſſime Franciſcani & veluti iugum duriſſimum cenſent ieiunium illud, quod à feſto omnium Sanctorum, vſque ad Paſcha, & ſingulis ſextis ferijs per totũ annũ obſeruant, pœna ſalutis inflicta ijs, qui illud relaxauerint

quanto

quanto potius conſequerentur ij, qui ſimilem abſtinentiam, pœnis corporis duntaxat ſubiectam, profeſſi, nouis ſe præceptis alligari. Multo profecto laicis, & clericis ſecularibus, qui non vniuerſim aſſueti per hoc tempus ieiunare, acerbum erit; quare via panditur ad labefactanda facile iſta ieiunia ijs, qui veterum obſeruantia difficile continentur; calamitoſis præſertim iſtis temporibus, & ſeculo tam corrupto, quibus ad libertatem, luxum, incontinentiam ciborum, relaxationem ieiuniorum, & omnimodam prauitatem, & nequitiam, tot vndiq. illecebris, blanditijs, totq. pollicitationibus à tartarijs miniſtris prouocantur. Verendum profectò erit, ne multi occaſione ea potius accepta, quam data, noſtris caſtris, & militia, vt aſpera deſerta; ad hoſtilia hæreticorum ſigna transfugiant, Securius hæc ad tranquillius tempus differenda, quando omnia erunt pacata, & hæreſes, atq. ſchiſmata, quæ hodie graſſantur per totum fermè orbem Chriſtianum in vnitatem fidei, & concordiam ſanctorum, & priſcorum dogmatum reducantur. Populi prӕterea Chriſtiani præcepta, & anathemata, quӕ excommunicationes vocantur, ad tantam multitudinem aucta, vt Iudæorum vel æquent, vel certè ſuperent numerum, prætermiſſis irregularitates, ſuſpenſiones, & interdicta, quӕ quamuis ſint in tam magno numero, poſſunt tamen pleraque citra peccatum mortale contrahi, licet ſæpe etiam incurratur. Diſtinguunt porrò Hebræi præcepta, quæ habent in duplicem ordinem; ſub priori, præcepta faciendi, quæ nos affirmatiua vocamus, complectuntur, quæ tot eſſe ferunt, quot membra in corpore humano, nempe 248. ſub poſteriori præcepta non faciēdi, quæ noſtri negatiua appellant, cōprehendunt, & tot eſſe dicunt, quot in anno dies, videlicet 365. quæ affirmatiuis ſimul iuncta, 613. conficiunt: noſtra, ſi vnà colligantur, non pauciora ijs vtiq. deprehendemus: Et quidē ex Euangelicis, & Apoſt. ſcriptis, modica habemus, verum ex decretis multorum Pontific. & ex diuerſis canonibus ſynodorum vniuerſaliū, prouincialium, diœceſanarum, tanto numero multiplicata, vt vix memoria cōplecti quis poſſit: monachis maiori multo copia ſunt, & fratribus à maioribus ſuis, & in comitijs, quæ ſtato tempore celebrantur, impoſita. Siue igitur laicos, ſiue clericos ſeculares ſpectes; ſiue etiā regulares, omnes inuenies, tot præceptis conſtrictos, quales olim fuere Iudæi. Petro quidem Apoſtolorum principi, & primo Chriſtianorum Pontifici, excedēs numerus præceptorum videretur, qui graue, & importabile onus legis Moſaycӕ, præcepta, inquā, & mandata ipſius, quæ neque à præſentibus, neque ab anteceſſoribus portari potuiſſent, tū ob imbecillitatem humanam, tum maximè ob illorum tātam multitudinem, publico in Concilio dixit. Chriſtus item Saluator noſter Act. 5.

earum

durum illud iugum legis enuncians, ad aliud nos ſuauius Euangelij inuitat, & ad leuius onus, graui abiecto, perferendum, cum ait: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; tollite iugum meum ſuper vos, iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Vide rectè Auguſtinus à Gratiano in decretis relatus, hanc in Eccleſia Dei multiplicationem præceptorũ exoſus, ait ipſam religionem quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, quam ſeruilibus oneribus premunt, vt tollerabilior ſit conditio Iudæorum, qui ſi etiam tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen ſacramentis, non humanis præſumptionibus ſubijciuntur. Scio pręcepta Eccleſiæ, quantumuis duriſſima, à Chriſtiano populo, velut quædam oracula diuina, & traditiones Apoſtolicas, complectẽda: ſed maiores exhortor, ne onus nouum adijciant, & iugum Chriſti ſuaue, & onus leue, in inſuaue, & grauiſſimum traducant, exemplo ipſius Chriſti, qui omnia pręcepta legis, ad paucorum obſeruantiam reduxit, Iuueni interroganti, quid ſibi faciendum eſſet, ad vitæ æternæ adeptionem, non homicidium, inquit, facies, non adulterabis, non facies furtum, non falſum teſtimonium dices, honora patrem tuum, & matrem tuam; diliges proximum tuum ſicut te ipſum: hæc illi Chriſtus breuiſſimè propoſuit, quæ facere deberet, ad vitam æternam conſequendam; & Petrus totam legem Moſaycam ad tria ſolum præcepta reduxit, inquiens, Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & ea quidem præcepit Petrus, ne ederent de oblatis ſimulachris, ne veſcerentur ſanguine animanti ſuffocato, à cæteris legibus, ritibus, & cæremonijs liberaliſsimè abſoluit cunctum populum Chriſtianum; & hæc pauca illis propoſuit, interim dum conuiuerent Iudæi cum gentilibus, ne ſcandalizarentur: & certè ſtudium Petri erat, ne onus graue aliquod humeris credentium ſuperponeretur, ſed omnia quam maxima ſuauitate fierent. Et vtinam alicui eius ſucceſſori Deus in mentem inderet, vt innumeram præceptorum, & anathematum multitudinem in pauca conflaret, quæ magis neceſſaria viderentur Eccleſiæ vtilitati, cætera partim aboleret; quæ inutilia eſſent, & alia ſimpliciter ſeruari mandaret, citra tamen peccatum mortale, mulcta violatoribus pecuniaria alias indicta; & qui ſoluendo non eſſet, pœnas in corpore lueret; ſic vtique fieret via Dei multo facilior & planior, & Chriſtiana plebs alacrior, & expeditior per eã incederet, obicibus multis, & ſcrupulis e medio demptis; & certè Pontifex, qui hoc perficeret maiorem, quam oẽs qui illum præceſſiſſent, gloriã, & immortalem eſſet famã

Matth. 11.

Matth. 21.

Act. 5.

conſecuturus,& ſummum applauſum totius populi Chriſtiani, æternitatis monumento poſteritati cunctis futuris ſeculis relicto; & Deum (vt exiſtimo) propitium in eo inſigni obſequio, & deuinctum haberet, qui iugum ſuum ſuaue eſſe voluit, & onus leue vniuerſo Chriſtiano populo, melius namque multo foret, vt pauca præcepta memoria tenerentur, & religioſiſſimè obſeruarentur, quam tanta deſpici, & in ijs maieſtatem,& Apoſtolicam authoritatem Pontificum præteriri, contemptuiq. ex inobſeruantia haberi: tunc aurea rediret ætas; & priſca ſecula innouarentur, & quiſque ad obſeruantiam præceptorum lætus accurreret. Certè ſynodus Tridentina ad hunc modum multa vincula ſpiritualis affinitatis aboleuit, impedimenta temporis celebrandarum nuptiarum contraxit, quæ cunctis fidelibus ſummopere placuerunt. Ex quibus certè liquet, importunam tempeſtatem eſſe indicendi ſub præcepto noua ieiunia,& potius innitendum, vt priſca obſeruarentur, & populus in antiqua abſtinentia contineretur. Animaduerſione dignum præterea Deum, qui alias ſeueritate erga Hebræos videtur vſus, indulgentiſſimum tamen,& mitiſſimum ſe illis circa ieiunia præſtitiſſe: vnicum namque dumtaxat diem, ex quatuor, quos quotannis ſub præcepto ieiunabant, nullumq. præterea alium, illis imperauit, in quo legitimum, & ordinarium ieiunium agebatur: decimo, inquam, ſeptimi menſis, hoc eſt Septembris, expiationum, ſeu propitiationis dicto, quo eodem annus Iubilæi in annum ſeptimum, & quinquageſimum etiam indicebatur. Quare dies ille ieiuniorum ſpeciatim,& ieiunij dies nuncupatus. Erant tres illis alij dies ieiunio celebres, & ſub præcepto obſeruati, verum non mandato peculiari diuino, ſed communi conſenſu,& concordia totius populi in ea obſeruantia præcepti ſuſcepti; ad quod ipſi propter res in ijs aduerſas occurſas, propria ſe ſponte voluerunt obligare: videlicet tertio ſeptimi, id eſt Septembris die, ob mortem Godoliæ. & decimo decimi menſis, hoc eſt Decembris, in memoriam obſidionis Hieruſalem à Nabuchodonoſore, & quartodecimo duodecimi menſis, id eſt Februarij die, ieiunium Eſther in magna afflictione, & anguſtia quæ tunc eis accidit recolentes. hi igitur ſunt quatuor ieiunij dies, quos hebræi ſingulis annis, ſtato tempore, & ſub præcepto obſeruabant. Cætera ſi quandò ſuſcipiebant ieiunia, vel à maioribus in aliqua neceſſitate communi imperata, vel propria cuiuſque religione ſuſcepta: ſicut fuere illius Publicani, qui bis ſe dicebat in Sabbatho ieiunare, hoc eſt in hebdomada: quæ vt proprio arbitrio inſtituta, poterat relinquere, citra peccatum, vel perficere prout oportunum, & expediens iudicaſſet. Si igitur Deus Iudæorum legifer, vnum illis ieiunij diem ſub præce-

pto indixit, & tres alios reliquos ſub eadem ipſi obſeruantia pera-
gendos admiſerunt, & in ſumma quatriduum totum per annum
ieiunarunt; durum profecto videretur, poſt tot ieiunia populo
Chriſtiano ſub præcepto indicta, alia velle denuo cumulare. Per-
pendenda deinde ieiuniorum multitudo, quibus hodie Chriſtianus
populus premitur, quæ in graue onus cedentia, in multo grauius
eſſent ceſſura, ſi veteribus noua alia ſub præcepto adijcerentur;
Sunt enim ipſi centum 76. dies ieiunio, & ij quidem ſub præcepto
quotannis obſeruandi, vtinam tam bene & pure, quam multi: &
quidem 82 illorum perfecti ieiunij legibus ſubſunt, in quibus non
ſolum à carnibus abſtinetur, ſed ſemel tantum in die cibo reficia-
mur 46. namque ex tempore Quadrageſimæ ſunt, nouem ex tribus
anni temporibus (nam quatuor poſt cineres euenientes, cum Qua-
drageſima ipſa confunditur) tredecim ex totidem vigilijs colligun-
tur, qui ſimul 81. dies conficiunt. Sunt præterea 94. alij ex feri ijs
ſextis, & Sabbathis, & ſex Dominicis Quadrageſimæ collecti ſub-
tractis etiam ijs, qui tam intra Quadrageſimam, quam inter tria anni tē-
pora rigidiori ieiunio ſunt conſecrati, in quibus bis veſci liceat, à
carnibus tamen in illis omnibus ſub præcepto abſtinetur; iuncti
igitur poſteriores hi dies prioribus, ad ſummam 176 in obſeruan-
tia ieiunij ſub præcepto celebrandi aſcendunt, qui procul dubio di-
midia pars ferme ſunt totius anni. Præter plæraque alia, quæ voti-
ua in paterno cuiuſque ſolo habentur, alia quæ à Pontificibus ma-
ximis toti Chriſtiano populo, alia quæ ab Epiſcopis in ſuis dioceſi-
bus intra annum indicuntur, & quæ quiſq. ex diuino, & naturali iu-
re tenetur aſſumere, ad carnem rebellantem compeſcendam, &
ſubtractione cibi, & potus edomandam, prout enim procellæ, &
tempeſtas in vndis corporis emergunt, tranquillitas, & ſecuritas,
atque ſerenitas ieiunij clementia comparatur. Ignotum autem an
in aduentu, vel extra iſta carnis tentationes ſuccedant, quibusve
diebus ad curationem iſtius morbi oporteat ieiunare. Ad hunc igi
tur modum ieiunia excreſcunt, & vltra præfixum antea numeri m
progrediuntur, vt ſatis populo Chriſtiano videatur hucuſque in-
iuncta, & nulla præterea alia denuo imponenda. Maioris præterea
vinculi, & neceſſitatis eſt pœnitentia, quam ieiunium; cum pecca-
ta quę continuè admittimus cōfiteri teneamus, quę ſingulis diebus
cum Euchariſtię ſumptione adminiſtrari ſoleret in principio naſcē
tis Eccleſię, mox is ritus contractus eſt ad dies Dominicos, in qui-
bus ſingulis & confiteri & Euchariſtię ſacramento communicare
Chriſtianis ſolemne erat, in cuius rei & antiquæ communionis mo
numentum panis ſimilagineus, antea benedictus, buccellatim, ſeu
particulatim poſt miſſarum ſolemnia ſingulis diebus Dominicis
populo

populo in templo conuenienti diſtribuebatur, qui ritus conſtantiſſime apud Orientales, & Græcas Eccleſias perſeuerat, & apud multas Occidentis adhuc in vſu eſt, apud pleraſque tamen ſanctus, & religioſus mos exoleuit; qui tamen ab Epiſcopis in antiquam eſſet formam reſtituendus, ne interiret, & periret antiqui vſus memoria, & obſeruantia adeo ſalutaris: vel enim illo pane ſinguli in templo veſcebantur, vel ſi mallebant, ab illo prandium auſpicabantur domi, quem alijs cibis præſumebant, vt eoſdem quadantenus conſecrarent, & innocentes redderent. A Dominicis tandem, ad tres feſtiuitates Paſchatis, & Pentecoſtes, & Natalis Domini, Sanctus Fabianus Pontifex confeſſionem, & communionem ex præcepto reduci permiſit, vt in decretis retulit Gratianus. Poſtremo denique Innocentius tertius, in maximo Concilio Lateranenſi, neceſſitatem ſub præcepto confitendi ad Paſcha ſemel in anno reſtrinxit, ne laqueus animabus videretur iniectus multorum, qui in Pentecoſte, & Natali confiteri ſua peccata recuſabant. Si igitur in re maioris momenti, & neceſſitatis, quam ſit ieiunium, Pontifices ſequentes nihil circa id innouandum duxerunt, ſed ſatis eſſe iudicarunt, ſi populum in ea tandem obſeruantia confirmarent, non videtur conſentaneum fore, noua denuo ieiunia illi indicere, ſed intra metas veterum continere; ne dum recentia ſtatuere moliuntur, antiquorum iacturam, & repulſam patiantur: hinc Concilia vniuerſalia intra 300. annos celebrata, etſi multa de reformatione morum populi Chriſtiani tractarunt, & ieiuniorum obſeruantia multum fuerit in dies relaxata, nihil tamen grauaminis adiecerunt, ſed ſatis eſſe cenſuerunt, in re adeo moleſta, multa populi arbitrio circa ea relinquere, & veterum diſciplinam, vtcumque deformatam, retinere. Vnde Concilium Tridentinum in decreto de delectu ciborum, nihil circa ieiunia durius iniunxit, nullum præceptum nouum impoſuit, ſed tantum Paſtores hortatur, vt obſeruantiam ieiuniorum, cum delectu ciborum commendent.

De conſ. diſt. 2. c. ſi non frequentius, Conc. Later. ſub Inn. 3. & habet. extra de pœn. & remiſſ. c. omnis.

Concil. Trid. ſeſſ. 25.

Præterea ſanctiſsimi Patres vetuſti cœnobiorum, & inſtitutionũ monaſticarum formatores, quantumuis circa diſciplinam monachorum, & fratrum rigidi extiterint, & multis ieiunijs ſuos diſcipulos macerarint, numquam tamen ex præcepto ad mortale peccatum obligante vllas abſtinentias iniunxerunt præter eas, quæ ſub vinculo vniuerſo populo Chriſtiano Eccleſia ſancta imperat, ne vt ſunt homines labiles, ex exilis cibi guſtu, & quauis eſus incontinentia, mors ſuccederet animarum. In Regula namque monachorum, quam Sanctus Hieronymus latine vertit & Pachomium ab Angelo ſuſcepiſſe legimus, ita ab eodem dicitur;

ſingulis iuxta vires ſuas edere concedas, & bibere, & pro modo veſcentium laborare compellas, & neque comedere modeſtè, neque ieiunare prohibeas; validioribus quidem, & comedentibus validiora; leuiora verò infirmioribus, & abſtinentibus imponas. Idē Angelus ad Pachomiū loquens cōſtituit, vt diuinæ orationes duodecim fierent, veſpertinæ item duodecim, & nocturnæ à monachis totidē: cumq. Pachomius illi diceret paucas eſſe, Angelus illi reſpondit: has conſtitui, quas poſſent infirmiores abſq. labore perficere: Cæteri, qui perfecti ſunt, hac lege non indigent. Ecce quali temperamento, Deus ipſe monachis abſtinentiā iniunxit, quali oratione conſulit quidem infirmioribus, & debilioribus, non prohibet perfectiores, & robuſtiores vlterius progredi, & maiora circa vtrumq. audere, non tamen vult eos præcepto teneri, quod violando, vitam æternam amittant. *Baſil. in reg. breu. intero. 134.* Baſilius item, omnino, inquit, ieiunium, & cibus ex ratione pietati accommodata aſſumi debent, vt videlicet quotieſcunq. mandato Dei per ieiunium ſatisfaciendum ſit, ieiunemus quotieſcunq. item mandatum Dei cibum deſideret, quo corpus confirmetur, edamus, non vt helluones, ſed vt operatij Dei, ſeruandum eſt enim quod dictum eſt ab Apoſtolo, *1. Corint. 10.* ſiue comeditis, ſiue bibitis, omnia in gloriam Dei facite. *Baſil. in con. mon. c. v.* Idem Baſilius in Conſtitutionibus monaſticis: venter, inquit, in officio contineatur, ſiquidem ventris moderatio, animi perturbationum compreſſio eſt; perturbationum autem compreſſio, animi pax eſt, atque tranquillitas. Continens ventris moderatio, ea præſtantiſſima iudicanda eſt, quam vires corporis cuiuſque definiunt; nonnunquam in diuerſis corporibus diſſimilitudo reperitur, quæ inter æs, ferrumve, ac arentia, ac ſarmentitia ligna; quamobrem ita amplectenda à nobis continentia eſt, vt eam cum viribus corporis commetiamur. Videmus quanta moderatione Baſilius, aliàs ſeuerus, & rigidus monaſtici inſtituti vindex, circa ieiunia cum monachis ſe ſuis gerat, nullo præcepto interpoſito, nulla fermè violentia adhibita, ſed exhortatione potius beneuola vſus, vt quiſque pro viribus onus ieiunij ſubiret, aut deſereret. Sed audiamus quid deinde in regula ſua ſtatuerit Auguſtinus: Carnem, inquit, veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſcæ, & potus, quantum valetudo permittit: quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat. Ieiunandi rationem cuilibet ſuorum fratrum arbitrio diſcutiendam, & obſeruandam reliquit Sanctus Auguſtinus. *S. Bened. in reg. c. 41.* Horum imitator Sanctus Benedictus, ſtatuit ſic in ſua monaſtica regula: ab idibus Septembris, vſque ad caput Quadrageſimæ, ad nonam ſemper reficiant fratres: ab idibus namque

Septem-

Septembris, id eſt, à vigilia Sanctæ Crucis, decimatertia die eius menſis, ieiunium generale monachi ſancti Benedicti incipiunt & ad Quadrageſimam vſque producunt, vt Smaragdus Abbas, & Ioannes Turrecremata Cardinalis in explicatione eiuſdem regulæ aiunt. Verum ſimpliciter id ſtatutum, & obſeruatum etiam, nullo intercedente præcepto. Ecce primores cœnobiorum, & fratrum fundatores noluerunt (quantumuis ieiuniorum obſeruantiſſimi) præcepto aliquo adhibito, ſuos diſcipulos irretire, malentes ieiuniorum diſpendium, quam animarum ipſarum fieri.

Præterea, laici facultates ſuas, & Elemoſinas in monachos, & fratres continuo diſtribuunt, victum illis, & neceſſaria ſuggerendo, vt munus aſsiduum orandi, & ieiunia libera pro ipſis ſuſcipiant, & abſoluant, quaſi temporaria dona, ſpiritualibus beneficijs compenſantes. Quod ſi ieiunium aduentus illis præciperetur, duplex eiſdem onus ſubeundum foret; & eos ſuſtentandi, qui pro ipſis ieiunant; & ieiunium ſimile eis nihilo ſecius perferendi. Et iam non eſſet mirabilis Franciſcanorum obſeruantia, ſi cum cœtero populo eſſet communis, neque aliorum monachorum, & fratrum per aduentum ieiunia, laicos ab eis diſtinguerent, ſed omnia paria, æqualia, & ſimilia eſſent. Sed diſcendamus tandem à priſcis illis illis temporibus, in quibus nec nomen, nec ieiunium aduentus agnoſcebatur, ad viciniora noſtra ætati ſecula, cum celebre cœpit haberi, & comperiemus Regulares eam obſeruantiam non vt præceptum, ſed vt conſilium admiſiſſe: & vt ſe peculiari religione in ieiunijs exercerent, quæ per alias etiam anni ſtationes celebrabant: In ſtatutis namque Carthuſianorum à Guignone maximo eorum præfecto, Brunonis ſucceſsore, concinnatis, ita fertur; Sexta ſemper feria pane, & aqua, & ſale contenti ſint fratres, exceptis ſolemnitatibus: in aduentu quoq. & Quinquageſima, & ieiunijs quatuor temporum, quarta etiam feria eandem abſtinentiam faciunt, qua itidem pane, aqua, & ſale contenti ſunt. Quarta igitur, & ſexta feria, intra aduentum panem cum ſale, pro obſonio, & aquam in potum ſumunt monachi Carthuſienſes, præter ieiunij obſeruantiam, quam toto illo tempore ante Chriſti natalem agunt. hodie tamen ea ſeueritas mitigata eſt, vt in altera feriarum tantum ea aſperitate vtantur, ſexta inquam, feria, quod ſi in ea ſolemnis aliqua feſtiuitas aduenire contingat, ad quartam tunc feriam e ſexta rigida ea obſeruantia transfertur, & tamen qui à præfecto poſtulant relaxationem, facile impetrant, vt ieiunium precibus adhibitis & vno poto peragant petuntque à præclaro miſericordiam ſibi fieri, & gratiam, & miſericordiam quidem, pro obtinendo obſonio, gratiam pro vino: quando autem ipſorum præfectus vult *In ſtat. Cart. cap. lij.*

citra relaxationem fieri eam abſtinentiam, indicit ieiunium abſq. miſericordia, & gratia. Acerbitas igitur, quæ in ieiunijs quartæ, & ſextæ feriæ Carthuſianis primum fuerit imperata, temperiem, & moderationem per tempus accepit, & facile à ſuperioribus diſpenſatur, quod obſeruantiam monaſtici ieiunij non ſub illo præcepto, ſed ſimplici mandato exequuntur, pœnam ex violatione, non culpam aliquam grauem incurrentes: migrauit ex hac vita Sanctus Bruno inſtitutor huius religionis monaſticæ, anno Domini 1101. Guigo autem, qui ei in generali præfectura ſucceſſit floruit anno 1102. vſque ad 1177. In Conſtitutionibus item Prædicatorum, quæ Sanctus Patriarcha Dominicus ſtatuit, noluit ſuos ad culpam, ſed ad ſolam pœnam obligare; ita decreuit A feſto Sanctæ Crucis, vſque ad Paſcha, continuum tenebimus ieiunium, & nona dicta comedemus, exceptis Dominicis diebus: in toto autem aduentu, & Quadrageſima, & ieiunijs quatuor temporum, vigilijs Sanctorum, & ſextis ferijs Quadrageſimali cibo vtimur, hoc eſt, ab ouis, lacte, caſeo, & butyro abſtinetur. Ieiunia tamen ita in obſeruantia ſunt fratribus prædicatoribus, vt nullo præcepto ſubdantur, præter ea, quæ ab Eccleſia ſunt vniuerſo populo Chriſtiano iniuncta. *In Conſt. Eremit. S. Aug. cap. 13.* In Conſtitutionibus fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini ita ordinatur de cibo, & ieiunio fratrum: à feſto omnium Sanctorum, vſque ad natiuitatem Domini, nullo labore, vel occaſione, excepto infirmitatis articulo, non niſi ſemel in die, & cibarijs tantum Quadrageſimalibus, fratres reficiantur, atque verum ieiunium ſeruent; nullum præceptum obligans ad peccatum mortale, in huius ieiunij obſeruantia imponitur. Sanctus Franciſcus Paulanus in ſua regula ſtatuit, vt ſinguli fratres clerici, & laici ieiunent à feſto omnium Sanctorum, vſque ad natalem. Ignatius Loiola nullum ieiunium aduentus, aut ſextæ feriæ Ieſuitis impoſuit, & ſolum ad ieiunia Eccleſiæ eos voluit obligari. Solus Sanctus Franciſcus Minorum Patriarcha ſeuerius proceſſit in obſeruantia ieiuniorum, qui ſuis ſub præcepto, ad peccatum mortale obligante, indixit, vt a feſto omnium Sanctorum, vſque ad natalem, & ſingulis ſextis ferijs ieiunarent, nonaginta præceptis adiectis ſupra ea, quæ Eccleſia circa ieiunia imperarat, quæ tamen grauiſſimum iugum cenſent hi boni patres & gemunt ſub pondere graui; verum ipſi voluntarij eam abſtinentiam cum alijs rebus auſterioribus profeſſi, non eſt quod meritò conquerantur; ſic enim beatiſſimus, & ſeraphicus pater ſtatuit, ſic illi ſe ei religione aſtrinxerunt: voluit namque pœnitentiæ, & humilitatis, & pauperpatis ſingularis exemplũ in ſuis relinquere, quos orbis admiraretur. Cæteri autem religionis inſtitutores; verentes

ne in horum obſeruantia ieiuniorum, aliquando ſui imbecillitate, vel gula laberentur, tutius æſtimarunt fore, vt pœnis corporis adhibitis in abſtinentia continerent, quam diſpendium ea occaſione fieri animarũ; qui profectò timor poſſet principes Eccleſiaſticos deterrere, ne nouis præceptis ſuos deuinciant, & periculo exponant gratiæ diuinæ amittendæ. Concludamus igitur ieiunij aduentus obſeruantiam importuniſſimè, & dedignanter à populo Chriſtiano ſuſcipiendam, ſi ſub præcepto iniungatur ad mortale peccatum obligante; ſi enim antiqua ieiunia, & à traditione Apoſtolorum orta, ægre hodie retinentur, & ſexcentis defectibus implicantur, & quotuſquiſq. leuiſſimis de cauſis ab eorum ſe obſeruantia ſubtrahit, quid fieret ſi noua nunc adijcerentur alia ſub præcepto celebranda? ſicut enim ſtomachus moderato cibo ſumpto, innato calore eum concoquit, & in alimentum corporis vertit, nimium verum cibum concoquere nequit, ſed vel euomere cogitur, vel cruditate afficitur: ita ſi feruor, & religio aliqua in populo Chriſtiano tepeſcit, & innata fragilitate, antiqua vix poſſumus ieiunia tollerare, qualiter ſufferemus noua? Etſi tot fuerint adiecta, dubium ne neutra concoquamus. Oportet igitur ea moderatione vti, & præcipue hiti, vt antiqua retineantur, & in meliorem diſciplinam reformentur; melius enim eſt pauca ieiunia, & ea bene, & debite peragi, quam multa male, & indebite obſeruari.

NVM EXPEDIAT IN ADVENTV SOLIS CLERICIS *eſum carnium interdicere, eiſq. præcipere, vt ſingulis etiam diebus ieiunent, an potius, quarta, & ſexta feria tantum?*

Clerici in ſortem Dei vocati, & in cæleſte miniſterium adlecti, propoſiti exemplum morum, & ſpecimen virtutis cæterorum & veluti parentes, & magiſtri ipſis ſuffecti, & præſertim Sacerdotes, qui Angeli, & Dij etiam in ſacris litteris appellantur, oratione, innocentiæ vitæ, ieiuniorũ obſeruantia, reliquos tenentur antei re, ſicut enim boni inter eos valde Eccleſiã Dei ædificant, ita mali quantum in ipſis eſt funditus euertunt, & virtutis honorem extinguunt. Vehementer enim, teſte Hieronymo, Eccleſiam Dei deſtruit, meliores eſſe laicos, quam Clericos: vbi enim laici ſunt meliores, nulla poteſt ædificatio conſurgere, qualis enim ædificatio erit Diſcipuli, ſi intelligat magiſtro ſe eſſe maiorem? quorum igitur vita ſuperior, ſanctior, atque diſcreta à laicis

Hiero. ad Titum c. 1. & ha betur q. 1. c. qualis.

à laicis eſſe debet, oportet, vt maiori ſcientia, & virtutibus commendetur. Si laici orant, ſacerdotes, & eorum miniſtri diutius orationi incumbant; ſi ieiunijs vacent, & ipſi longiora, & ſeueriora ieiunia ſuſcipiant neceſſe eſt: alias ſal euaneſcet, & inſipidum fiet, quo deberent laicorum mores condiri, & lumẽ tenebreſceret, quod deberet eos illuminare. Quare ſanctiſſime inſtitutum eſſet, ſi clericis mandaretur, ſaltem ijs, qui in ſacris ſunt ordinibus conſtituti, vt ieiunij Aduentus obſeruantiam vnanimiter complecterentur; quo illorum lux ita coram hominibus luceret, vt viderentur opera ſua bona, glorificaretur omnium communis pater, qui in cælis eſt. Verecundum namque eſſet, priuatos milites manus cum hoſtibus conſerere, & duces certamini ſe ſubducere; ſunt namque laici plerique, ſunt virgines, ſunt etiam nuptæ, quæ tanto ardore, & contentione pietatis hanc ieiunij Aduentus religionem ſubeunt, atque ſi eſſet illis præcepto imperata. Sunt contra clerici, qui nihil minus curant, quam eam peragere; cum tamen ſe poſteriores eſſe, & à puellis viros ſuperari, à profanis ſacros, faciendo quod non decet, maximo eos pudore ſuffundere debuiſſet. Quod profecto mouit Teleſphorum Romanum Pontificem, vt clericis ordinaret, Quadrageſimale ieiunium ante laicorum obſeruantiam, peculiari religione, præuenire: Statuimus, inquit, vt ſeptem hebdomadas plenas, ante ſanctum Paſcha, omnes clerici, in ſortem Domini vocati, à carne ieiunent, quia ſicut diſcreta debet eſſe vita clericorum à laicorum conuerſatione, ita, & in ieiunio debet eſſe diſcretio. Idem B. Gregorius, eademq. prorſus ratione permotus, decreuit, ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ſcribens, dum ait: Sacerdotes, & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Eccleſiaſtici gradus exornat, à Quinquageſima propoſitum ieiunandi ſuſcipiant, quo & aliquid ad penſum ſanctæ inſtitutionis adijciant, & eorum, qui in laicali ordine conſiſtunt, obſeruantiam ſicut loco, ita & religione præcedãt. Subeſt, & alia non minoris põderis ratio, qua clero generatim hoc eſſet Aduentus ieiunium imponendum, quod opibus laicorum vniuerſi paſcantur, qui facultates ijſuas in eos liberaliter erogarunt, ad propagandum diuinum cultum, & miniſtrorum numerum augẽdum, & vt ipſi aſſiduas ad Deum preces pro ipſis effunderent, & cõtinuo vacarent diuinis laudibus, & cantibus, quod ipſi commode præſtare nequibant, publicis negocijs, & domeſticis prępediti: hinc orti tot redditus Eccleſiaſtici, tot ſacerdotia, aut beneficia, quæ in eorum alimoniam quotidie conferuntur. Sicut igitur milites tenẽtur pugnare pro illo, qui illis ſtipendia ſoluit, ita & clerus iure naturali, diuino, & humano, qui ſtipendijs militant laicorum, tenentur pro illis orare, & benefactores ſuos agnoſcere, & gratias illis habere

Teleſph. ep. 1 ad oẽs Epiſc. & habet. diſt. 4. cap. ſtatuimus.

B Gregor. ad Augu Angl. Epiſc. & hab. diſtinctione iv. c. denique.

habere,quam maximas poterunt,tam viuis,quamq.defunctis.Eius rei gratia,ſancte à maioribus inſtitutum,vt peculiarium precum penſum ij,qui fructus laicorum percipiunt quotidie, veluti quandam compenſationem abſoluant,in ſeptem diurnas, & nocturnas horas diſtributum.Eoq. modo poſſet illis peculiaris aliqua ieiunij obſeruantia indici,vt non eſſet,quam peragunt cum populo cæteꝛ communis,& non ſolum precibus,ſed etiam abſtinentijs, laicis viuis,atque defunctis gratos oſtenderent,& omnibus,quibus poſſent vijs,& modis beneficia ab eis ſuſcepta retribuẽda curarent. Quod vtique Regulares,inter alia,permouit,vt tot publicis; & priuatis ſacrificijs,& orationibus,tot abſtinentijs,& ieiunijs,tot incommodis corpora affligerent ſua,vt non ſolum erga Deum religioſe, & ſancte ſe gererent,ſed erga homines,qui illis victum miniſtrant,benefici eſſent.Ingrati namque animi crimen mortalibus horrendũ, vt cui omne inſit malum,& nihil habeat cum pietate,& humanitate commune: quare ſumme cauendum,ne in id vitium quiſquam incurrat,quod adeo inuiſum eſt Deo,atque hominibus. Cum enim iura in ſingula delicta ſupplicia ſtatuerint, hoc vnum reliquerunt impunitum,& Deo remiſerunt puniendum, quod quælibet pœna, etiam ſæuiſſima, minor multo tam atroci crimine videretur. Vt *Oſee 4.* quid enim ſacerdotes dicuntur populi peccata comedere (ſiue per peccata oblationes pro ipſis oblatas,ſiue quod ipſi munus, & pondus ſuſcipiant Deum placandi,intelligamus) ſi non ipſi, ſed Deus bonorum omnium retributor ſolus ad præmium teneatur? Ocioſa præterea,& inanis eſſet ſententia Pauli ad Corinthios,ſcribens:Ne *1.Cor. 9.* ſcitis,inquiens,quoniam,qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt ædunt;qui altario deſeruiunt,cum altario participant?ita & Dominus ordinauit ijs,qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere.Retorquemus namque in impios illos Paulinam ſententiam:Aut qui in ſacrario operantur, aut altario deſeruiunt, ſiue qui Euangelium annunciant,aut propter hominum gloriam faciũt aut diuinam; ſi propter hominum gloriam faciunt,receperunt mercedem ſuam; ſi propter Deum,à Deo præmium petant,nec aliquid exigant ab hominibus,nihil ſe ab illis tandem donari patiantur. Itaque illa diabolica doctrina nulla eſſet retributio,nulla compenſatio ab hominibus expectanda,nulla denique ſuſcipienda, ſi propter Dei gloriam,aut honorẽ aliquod opus fieri contigeret:dignos tamen Chriſtus indicat mercenarios mercede ſua; ſed his omiſſis, ad clerum,vnde digreſſi reuertamur.Clerus cunctus,aut in regulares,qui communem vitam agunt,& intra clauſtra degunt, aut in ſeculares,qui nec ſimul habitant,nec intra clauſtra commorantur, diuiditur.Æquiſſimũ autem eſſet,vt omnes regulares vniformitatẽ

circa

circa obſeruantiã ieiunij Aduentus, & ſextæ feriæ haberent, & profiterentur, & nemo ſe ab ea ſancta inſtitutione quouis prætextu ſubduceret, ſiue militaris ordinis eſſet interim dum rebus militaribus vacant, ſiue Canonici, qui, aut collegialiter viuunt, aut regularem profeſſionem in Cathedralibus quibuſdam complectuntur; Sunt enim in Hiſpanijs aliquot, vt Cæſarauguſtana, Pampilonenſis, & Dertuſenſis; & alibi etiam locorum non paucæ, quarum Canonici regularem vitam ſequuntur, vt olim in omnibus ferme orbis Chriſtiani fuit conſuetum; quæ progreſſu temporum, ex regularibus ad ſeculares, vt hodie ſunt, tranſierunt. Clerus autem ſecularis conſtituitur, ſicut etiam regulares, ex Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Hoſtiarijs, Exorciſtis, & Acolithys; ex his autem ſoli Epiſcopi, Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi eſſent huic ieiunij obſeruantiæ ſubijciendi, vt qui altari propinquius miniſtrant, & ſunt præceptores veluti reliqui populi, & redditibus à laicis olim prædictis, vel decimis, & primitijs, atque oblationibus, & eleemoſynis eorundem fruuntur; vt ea abſtinentia peculiari, ſe maxime ipſis fore deuinctos, & gratos proteſtarentur, potioremque, quod antiqua exiſtant, gratiam, & pretium promerentur. Sua ergo canicies, & vetuſtas ineſt ieiunio, ob quam id ſuſcipere, & recolere deberemus, & frequentius replicare.

IEIVNII RELIGIO PER OMNES SEMPER mundi ſtatus celebris habita.

ANte diluuium vniuerſale, homines pietatis amantes, à carnibus abſtinuiſſe, & lacte ſolum, pomis, & alijs arborum fructibus, ſeminibus, & oleribus victitaſſe, vſumq. tunc vini ignotũ prorſus fuiſſe, ſacra edocti hiſtoria, multi viri clariſſimi tradiderunt.
Gen.9. Quæ abſtinentia vſque ad Noe, & eius liberos religioſe ſeruata; quibus tandem & carnium eſum, & vini vſum conceſſit Deus. Ante legem deinde populo Iſraelitico promulgatam, Moyſes famulus Dei octuaginta diebus, quadraginta ſemel, & totidem iterum ieiunauit, nullo prorſus cibo, aut potu refectus. Quãdo aſcẽdi, inquiẽs
Exod.24. *Deuteron. 9.* in montem, vt acciperem tabulas lapideas pacti, quod pepegit nobiſcum Deus. & perſeueraui in monte quadraginta diebus, & noctibus, panem nõ comedens, & aqua non bibens; & paulo poſt: Et procidi ante Deum, ſicut prius, quadraginta diebus, & noctibus panẽ non comedens & aquam non bibens, propter omnia peccata veſtra quæ geſſiſtis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocaſtis. Receptum namque tunc erat ieiunium, ad Dei iram placandam, & dona promerenda, qualia fuere legiſlatio, & alia ſimilia, in illo

vertice montis impetrata. Tempore autem legis ſcriptæ, celebre fuit ieiunium Eliæ Prophetæ, poſt interfectos pſeudoprophetas, ſectatores Baal, qui cum à Iezabele, impia fæmina, ob eorum cædem, ſummo adhibito ſtudio, & diligentia, in mortem quæreretur, timore correptus, intra deſerta loca ſe abdidit, ab hominum conuictu ſemota, vbi pane ſubcineritio paſtus, poculoque aquæ ebibito, quadraginta diebus, & totidem noctibus, nullo alio, aut cibo, aut potu guſtato, multum itineris emenſus, ad montem tandem Dei Oreb peruenit, cuius in ſaltu delituit, indignationem peſſimæ Reginæ interim auerſatus. Non eſt ſilentio prætereundum longum, & fermè continuum ieiunium Iudith, filiæ Merari, quæ mortuo marito Manaſſe, tempus omne viduitatis perpetua continentia in Bethulia exegit; quæ cum eximia pulchritudine, & opibus ingentibus polleret, in ſuperioribus domus ſuæ fecerat ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbatha, & Neomenias, & feſta domus Iſrael. Non tacebo quatuor ingenuos Adoleſcentes, in aula Regis Babylonis, ex captiuorum Hebræorum numero enutritos, Danielé, Azariam, Ananiam, Miſaelem, qui affectu religionis tacti, & ſapientiæ deſiderio, regios, atq; lautiſsimos cibos, generoſa vina, & delitias alias, pro oleribus & crudis leguminibus mirabili abſtinentia permutarunt: quorum Daniel, trium hebdomadarum ieiunium ſuſcepit, quibus (vt idem teſtatur) panem deſiderabilem non comedit, & caro, & vinum non introierunt in os eius. Sed neque vnguento vnctus fuit, donec implerentur trium hebdomadarum dies. Chriſtus præterea Saluator noſter, vt nos ſuo exemplo erudiret, atque excitaret, & ieiunium commendaret, & locum, & honorem ſuum tempore legis Euangelicæ obtineret, in deſertum locum ſecedens quadraginta dies, & totidem noctes, citra cibum vllum & potum, tranſigendas duxit: cuius poſt imitatione, multi mirabiles abſtinentias aggreſſi, memoriam ſuæ obſeruantiæ poſteris (vt mox dicemus) reliquerunt.

3. Reg. 19.
Iudith 8.
Daniel 1.
Matth. 4.

DE MIRANDIS PIORVM VIRORVM, ET FAEMINARVM *in lege Euangelica ieiunijs.*

CLariſſimus in omni abſtinentiæ genere ſanctus Ioannes Baptiſta enituit, exemplum, & ſpecimen omnis virtutis cunctis ſe exhibens, qui tenera ætate, paterna domo, patrio ſolo, fortuniſq. oībus relictis, in deſerta loca ſeceſsit, radicib' herbarũ, & ſylueſtri tantum melle veſcens, vino, & ſicera perpetuò abſtinens, cilicinis

Matth. 3.
Luc. 1.

 veſtibus,

veſtibus,ex pilis Camelorum confectis, ſe veſtiens, totam vitam quodam continuo ieiunio, & inedia tranſigens. Hinc ſectatores ſuos multa ieiunia docuit, quorum valde erant obſeruantes, adeo vt aperte Diſcipulos, apud eorum magiſtrum Chriſtum criminari non fuerint veriti, qui ipſis frequenter ieiunantibus, & Phariſæis, illorum tamquam minus religioſam vitam,quod non ieiunarent,traducebant:quorum tamen criminationem Chriſtus refellit,ſuoſque Diſcipulos his verbis tuetur: Nũquid,aiens,poſſunt filij Sponſi lugere,quamdiu cum illis eſt Sponſus? venient autem dies,cum auferetur ab eis Sponſus,& tunc ieiunabunt. Qui enim Sponſo aſſiſtunt tempore nuptiarum, dies tunc lætos, & geniales agunt,neque conuiuiorum hilaritatem,importuno aliquo ieiunio, mœroris nota ſuffundunt;abſolutis nuptijs, cuique extra communem ſolemnitatem licebit ieiunium celebrare; vt & Apoſtolis, & alijs Chriſti Diſcipulis accidit, qui quamdiu eius præſentia in terris frui licuit, parum ieiunijs vacarunt; eo abſcedente in cælum, tunc mœror,luctus eos,ieiunia,carceres,catenæ compedes,& martyria ſubſequuta. Inter cæterorum autem abſtinentias Apoſtolorum,Pauli vaſis electi, atque pretioſi, ieiunia magis elucent, vt ipſemet Corinthijs ſcribens teſtatur: In laboribus,inquiens, fui, & ærumnis, in vigilijs multis, in fame,& ſiti,in multis ieiunijs, in frigore,& nuditate,&c. Et rurſus: In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus,in neceſſitatibus,in plagis,in carceribus,in laboribus,in vigilijs,in ieiunijs,&c. Non dubium,quin ieiuniorum maximus eſſet obſeruator,qui ea alijs tam ardenter ſuadebat. Nec prætereunda nobis eſt mirabilis illa,initio naſcentis Eccleſiæ, Chriſtianorum abſtinentia,cuius Philo meminit in libro,cui titulum Suidas fecit de vita Chriſtianorum,ab Euſebio,Ruffino,& Nicephoro citato; ſic enim ſcribit: Cum temperantiam, quaſi quodoam fundamentum,in animis ſuis iecerint, alia virtutum genera ſupra ædificant; cibum,aut potionem ante ſolis occaſum nemo illorum capit;quippe diuinæ ſapientiæ ſtudium,quo ſe inuoluunt,lucem promereri iudicant; corporis autem neceſſitates,tenebras ſolum merito ſibi vendicare, vnde illis quidem,totum diem, his autem exiguam quandam noctis particulam largiuntur: quidam porro,quorum animis ardentius ſcientiæ deſiderium inſidet, vix ſeme. toto triduo cibi recordantur. Nonnulli illecebris ſapientiæ quodammodo inuitati,ſic oblectantur, indeq. tantas capiunt delicias, vt duplo plus temporis inediam facile ſuſtineant, & vix tantum ſex diebus expletis alimentum neceſſarium deguſtent. Et rurſus: In nocturnis magni feſti vigilijs, thoros ſtramineos humi poſitos

Matth. 9. Luc. 5.
2. Cor. 11.
2. Cor. 6.
Euſ. lib. 2. c. 16.
Ruff. c. 17.
Niceph lib. 2. c. 16. & 17.

vſurpant, vinum omnino non guſtant, immo nec carnibus, nec aliquo genere cibariorum, quod ſit ſanguinis participes, veſcuntur; & quod aqua ſola illis potio ſit, ſale, & hyſſopo pro obſonio, & pane vtantur; hæc fermè priſci Chriſtianorum ſeculi abſtinentia, hęc tandem vita fuit, & pænitentiæ ſimulachrum. Quid de Beato Paulo Ægyptio viro ſanctiſſimo eſſem dicturus? qui eius regionis deſerta incolens loca, primus Eremiticæ, & ſolitariæ diſciplinæ fuit inſtitutor, & ad ſaxei montis radices ſpeluncam, domicilium ſuum conſtituens, dactilis, quos vetus palma ferebat, victitauit, ex folijs eius veſtimenta contexens, & fonte proximo bibens, dimidiatum panem, per coruum quotidie diuinitus miſſum, in alimoniam, ſexaginta continuis annis accepit, ex centum tredecim, quibus fuit in hac vita ſuperſtes. Neque huic inferior fuit Antonij continentia, qui in vaſtam ſolitudinem, ſuis poſſeſſionibus omnibus diſtractis, pretioque pauperibus diſtributo, concedens, vitam incredibili parſimonia, geſſit vix humanam: erat enim eius eſca ſolus panis, & ſal, potus aqua, prandij tempus ſolis occaſus; frequenter duos, & amplius dies ſine cibo manebat, ſolam terram, ſicut & lecti, ita refectionis ſtratum habebat. Sed maior admiratio ſubit de Simone Stilite, qui inter terrenas, & cæleſtes res medius quaſi interiectus, ſeuerum viuendi genus in carne traducens, triginta annis intra columnam quadraginta cubitorum delituit, Angelicã potius, quam humanam vitam imitatus; cathenam ferream collo geſtans, paruoque pane, & aquæ potu contentus agebat. Fuit & alter Simeon, poſterior iſto, qui in alia columna ſumma abſtinentia ſexaginta & octo annos continuos vixit, cui rami quidam fruticis in monte creſcentis, & cibi, & potionis loco fuere. At multo illis mirabilior extitit Beatus Nicolaus à Saxo, Heluęticus, Syluaniæ natus, qui deſerto loco, ſolitariam vitam, magna morum ſanctitate ducens, viginti ferme annis, nullo corporeo cibo, aut potu vſus, incolumis perdurauit; eoq. diuturniſſimo ieiunio factum, vt venter, & inteſtina ita coheſerint, vt nulla via, aut aditus illuc penetrandi eſculentis, poculentiſue quibuſque foret relictus. Neque in viris ſolis, qui robuſtiores multo eſſe ſolent, ſed in imbecillibus fæminis, ac delicatis, ſimiles abſtinentiæ viguerunt. Maria namque Magdalena, poſt aſſenſum Chriſti Redemptoris Noſtri in cælum, ſe totam contemplandis rebus diuinis addicens, in excelſi, & ardui montis ſupercilio, prope Maſſiliam Galliæ vrbem, conuictum, & ſocietatem omnium fugitans, triginta continuis annis, ſolis herbarum radicibus, & potu aquæ, quem proximus fons miniſtrabat, intra antrum rupe excauatum, uitam exegit Angelicam, potiuſquam humanam. Neque prætereunda eſt Catherina virgo

Hier. in vita Pauli.

Hier. in vita Antonij.

Euag. li. 1. ca. 13

Euagr. lib. 6. c. 22.

Senenſis, cuius admirandæ ſanctitatis prodigia, toti populo innotuerunt Chriſtiano, inter quæ non inferiorem locum abſtinentia ſingularis obtinuit, vtpote quæ à tenera ætate carnibus ſibi interdixit, ac vino; ſolisque oleribus, & abſque pane, victitauit; & multo etiam tempore ſolo aquæ potu reficiebatur; & in plures tandem menſes, nihil prorſus deguſtans, ieiunium producebat. Hæc tandem rariſſimæ, incredibilisque abſtinentiæ exempla, tum olim, tum vicinis noſtris temporibus extiterunt. Quibus multa alia adiungi potuiſſent, niſi vererer faſtidio eſſent à legentibus aliquo excipienda. Quibus profecto compleri videtur, quod multo ante veritas dixit: Qui credit in me, opera, quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet; vt enim hæc, quæ retulimus ieiunia, Moyſi, & Eliæ abſtinentias ſuperant, ita prolixiora, ac diuturniora, quam Chriſti fuere, &, iuxta ſubſtantiam, maiora, minora vero multo, ſi ad modum referantur; ieiunium namque Chriſti, à Domino, iſta à famulis; illud propria authoritate, illa aliena; iſtud imperando, illa autem imprecando, & diuina virtute ſuffulti abſoluerunt; illud integrum fuit Chriſti, iſta non tam ſua, quam aliena, Dei, inquam cooperantis, & naturam debilem ad ea perferenda fulcientis. Inedia namque ad ſeptem vſque dies, & maximum nouem protracta, lethalis eſſe ſolet, niſi diuina virtus ſuppleat, ad quod humanæ aſpirare nequeunt. Atque ideo hæc tam ſtupenda ieiunia ad admirationem potius quam imitationem propoſita, vt non detrectemus conſuetas abſtinentias, ſeu ieiunia ſuſcipere, & ſtudioſe celebrare cum tot illuſtres ſanctitate Viri, tot etiam inſignes pietate Fęminæ, tanto animi ardore, & conſtantia, tanta alacritate, & religione inſueta, & ardua hæc aſſumere, & perficere non dubitarunt. Si igitur ſub ea forma ieiunia ſint nobis horribilia, & inacceſſa, ad eorundemque perfectionem conſurgere haud valeamus, ſaltem illorum affectum, & quæ noſtri moris ſunt diligentius, quam huc uſq. obſeruemus, quæ à nobis tepidius, tantaq. relaxatione peraguntur, vt vix vmbra antiqui ieiunij teneatur.

Ioan. 14.

QVOD NOSTRA AETATE MAXIME SIT *in ieiuniorum obſeruantia indultum.*

SI conferamus priſcam illam ieiuniorum obſeruantiam, cum ea, quam noſtro ſæculo tenemus, manifeſtum fiet, imaginem potius illorum, quam rem ipſam permanſiſſe, ſeueritatemq; & diſciplinam Veterum, in mitiora, & clementiora, indulgentia Pontificũ, permutata. Ieiunia namque apud antiquos Patres, tam Hebræos, quam Chriſtianos, durioris fuere conditionis, vtpote, quæ ante viginti quattuor horas exſoluere non liceret; incipiebant namque celebrari initio noctis præcedentis, vſque ad occaſum Solis ſequẽtis. Noſtra vero à media nocte præcedente, vſque ad meridiem ſequentem dumtaxat prorogantur: olim intra viginti quattuor horarum tempus nemini licebat, aut edere, aut bibere, nobis potus conceſſus, cum ſitimus, illos cum ſitis cruciaret, omnino erat tolleranda: Hinc S. Pachomius in regula. Si ieiunij, inquit, inſtar dies, & ſitire cœperit Monachus bibere non audebit; à vino tunc abſtinebatur, nunc vinum potamus; Veteres noctu cœnabant, nunc meridie prandemus, & iterum, prætextu potus, poſt ſolis occaſum cibi aliquid præſumimus, ne poculum officiat. cœnulas vocare poſſumus, vulgo collationes nuncupant, quæ Romæ adeo lautæ, & profuſæ exiſtunt, vt hæ cœnæ prandio ſuccedere videantur, cum panis, acetarum aliquod, poma, fructus aridi, bellariaque alia, citra tamen numerum menſis ieiunantium, cum apponantur; olim a piſcibus abſtinebant, aridis fructibus, pomis, & oleribus, ſeu leguminibus incoctis tantum veſcebantur, vnde xerophagiæ dictæ, quæ erant Veterum rerum aridarum comeſtiones, citra vllam iurulentiam, aut offas liquamine aliquo intinctas; & qui proxime his ſucceſſere licentius progreſſi, piſcibus tantum minutis, & exanguibus veſcebantur, vt etiam modo nunc Græci conſueuere: nunc omnes, quantuncunque magnos, & ſanguinis participes, & olera cocta, & iurulenta quæque edimus: Quantumuis Gregorius Magnus Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſcribat: Cæterum, inquiens, piſcium eſus ita Chriſtiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium; denique qui à carne abſtinent, nequaquam ſumptuoſiora marinarum belluarum conuiuia præparent, quamuis enim piſces, quos poſt Reſurrectionem guſtauit Dominus, poſſimus tempore ieiunij manducare, vtpote nec à Saluatore, nec ab Apoſtolis interdictos, verum magnas belluas marinas tanto ſtudio, & ſumptibus in cibos abſtinentiæ conquirere,

Greg. Auguſtino, & habet. diſt. 4. denique.

Ioan. 21.

&

& comparare, irreligioſum profecto eſt; qui delitias, & voluptates in afflictione, mel in felle, ſuauitatem infra amaritudinem, & luctum, præter rationem, æquum, & honeſtum quærimus, & pecunias in ijs multas inſumimus, quæ meliori tunc eſſent iure in pauperes, & inopes eroganda. Olim parciſſimo reficiebãtur cibo, cum ieiunium ſoluebatur; nunc tanta voracitate, tot eſcis nos explemus, vt videamur vſuras à Deo ieiunij exigere, & duplicato cibo abſtinentiam præcedentem velle compenſare; & quamuis præcepto ieiunij, ſemel edendo, & à carnibus continendo, ſit iſto modo ſatisfactum, finem certum ad quem illud fuit inſtitutum; edomandam, inquam, carnem, & corporis macerationem, omnino præterimus, & eludimus. Vt iam clamare cum Eſaia Propheta libeat; Numquid tale eſt ieiunium, quod elegi, quantumq. demum mutatum ab illo? Conſultius profecto eſſet, aliquantulum ad veterem diſciplinam ieiunia licentiora reuocare, quam recentia denuo inſtituere, quæ inobſeruanda ſint, & occaſio, quo tandem omnia negligantur. Concoquenda prius in ventrem ingeſta, quam nouis eſcis deuoratis, has, & illa corrumpamus. Melius profecto eſt pauca ieiunia habere, & ea ſeuerius obſeruare, quam multa addere, quæ negligenter, imperfectè, & remiſſim agantur. Verum fateor ieiunia priſca, in eam, quam videmus hodie, relaxationem, & inobſeruantiam ſenſim veniſſe, occaſionibus quibuſdam, quæ interceſſerunt non inhoneſtis eademque Pontificum Maximorum animos, recte permouere, & ad diſſimulationem, & conniuentiam inducere potuerunt. Prima quod corpora humana in dies imbecilliora, & exiliora, minoriſq. roboris, & virtutis exiſtant; neque tantis proinde laboribus, & incommodis, vt olim ſufficiant, Quantum enim longius à principio, & prima noſtra origine progredi contingit, tanto debiliores, ac infirmiores exiſtimus, natura veluti defeſſa, & tantum operæ adhibere detrectante: iuxta illud,

Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.

Quantumdem enim decreſcunt humana corpora, tantumdem creſcit, & adoleſcit malitia: Quare licet ob malitiæ augmentum, ieiunijs magis affligi, & ſeuerius aſtringi, ob imbecillitatem tamen potius releuari homines noſtri ſæculi debuerunt, Ex hac igitur occaſione, antiqua ieiuniorum ſeueritas, congruenter valuit imminui, & relaxari. Eſt & altera non omnino inefficax ratio, noua grauiſſimorum morborum genera, abhinc centum annos prodijſſe, vitiaſſeq; humana corpora, & in aliam peſſimam conſtitutionem transformaſſe, & inde imbecilliora multo, atque antea inualidioraq. relicta. Ignota namque antiquis lues venerea, ſeu morbus Gal

licus

licus, bonum corporis habitum totum corrumpens, & ſanguinem, animæ ſedem præcipuè lædens, qui aut hereditarius infectis parentibus, aut coitu etiam honeſto contrahitur. Ignotus iiſdem ſudor Anglicus, qui inter vigintiquatuor horas eo correptum interimebat. Ignota tot peſtium contagia, quæ quotidie denuo emergunt, & tot modis corpora humana corripiunt. Antiqui præterea morbi, qui longiori ætate decurſa, deberent eſſe mitiores, maiori nunc impetu, & ſæuitia inuadunt homines, atque olim fecerunt. Hinc natura effecta inualida, atque imbecilliſſima reddita eſt, ac proinde fulcienda, & ſubleuanda venit. Feruor præterea antiquus remiſſus bona ex parte eſt, & tepeſcere, imo frigeſcere cœpit Eccleſiaſtica diſciplina, & antiqua ſeueritas religionis, vixque poſſunt veteribus ritibus, & moribus populi contineri; vnde oportet eorum tepiditatem, & ignauiam diſſimulare, ne à ieiuniorum omnino ſe ſubtrahent obſeruantia, qui duræ ceruicis cum ſint, facile aut iugum reijciunt, aut ſe non patientur domari. Multos tamen benignitas, & ciuilitas Eccleſiæ jeiunio, haud obligari interpretata eſt. Latini namque qui ab hinc 300. annis vixere, minus hac in parte ſeueri, moderatioreſque viſi: Siquidem non omnem ætatem, mortaleſque omnes jejuniorum legibus teneri uoluerunt. Excipiunt enim pueros, vel quod ob vim caloris, multo maiori, atque cæteri alimento indigeant, quo facile cibus abſumitur humoris præſertim tenuitate; vel quod natura ſint imbecilliores, quam vt longioris temporis inediam ferre, & ſuſtinere poſsint, ita vt crebrius cibo refici neceſſe habeant, qui non ſolum preſtat, vt nutriat, verumetiam vt augmentum tribuat. Quãobrem quamdiu illo ſtatu ſunt, vt creſcant, quod fieri creditur vſque ad finem tertij ſeptennij non fuit viſum ieiuniorum illos legibus obligare. Neque aliquam religionem ſolemniter profitentes etiam in qua ſub præcepto teneantur ieiunare, ad huiuſmodi obſeruantiam minores viginti vno anno obligantur. Si enim ab Eccleſiaſtica lege abſoluuntur, peculiari alicuius non tenentur, quod iuri naturæ hæc abſolutio innitatur. Conducet tamen intra hanc ætatem aliquot illos ieiunij exercere, quantum vires, & valetudo permiſerint. Nam inconſideranter & vltra vires ſumpta onera, ne Hieronymus quidem, quamuis cæteris rigidior, probat, illud prouerbiorum citans: Super te onus non leuaueris. Idem cauerunt de prægnantibus mulieribus, quæ cum cibo refici neceſſe habeant, nõ ſua tantum, ſed & fœtus nutriendi cauſa, exiſtimatum eſt, ad hoc duplex alimenti genus minime ſufficere, ſi ſemel in die cibum ſumpſiſſent. Deinde verò ſępe inordinato quodam deſiderio, nunc hoc, nunc illud cibi genus appetunt, atque id tam ardenter, vt niſi

deſide-

deſiderio ſuo ſatisfecerint, de fœtu periclitari frequentiſſime comperiantur. Itaque nullum eſt illis ciborum genus interdictum; atque adeo ieiuniorum legibus non tenentur, vt etiam peccare grauius credantur, ſi nimis arcte ea obſeruantes, de ſalute fœtus, quem in vtero geſtant, minus fuerint ſollicitæ. Idemque prorſus ſentiendum de parientibus, lactantibus infantes, ſiue eorum nutricibus, quæ omnes ieiunio ſoluuntur, quod alimentum non ſolum ſibi, ſed & infantibus comparare teneantur, ne illis neceſſarium aliquando deſit, quod eſt illis tamen opportune ſemper nutrimentum ſuggerendum. Ægri quoque ſunt ad eundem modum legibus ieiuniorum deobligati; non quod non plurimum iuuet abſtinentia his, qui morbo aliquo conflictantur, ſed quod eorum valetudini multo magis expediat, vt bis, aut ter modico cibo, quam ſemel immodico reficiantur. Eadem quoque Senum eſt habita ratio ſexagenariam excedentium ætatem, cum ipſamet ſenectus morbus ſit, & quædam veluti aſſidua ægritudo: quos cum calor plerumque deficiat, ad eum fouendum frequentiori indigent cibo. Sed & qui mendicant victum oſtiatim eodem numero ſunt habendi, qui non quando, & quantum velint, ſed cum illis cibus à locupletioribus fuerit ſuppeditatus corpus eo reficere coguntur. Neque diſſimilis viſa eſt eſſe peregre proficiſcentium ratio, qui, cum non ſemper eo tempore, quo vellent, in locum deſtinatum peruenire queant, ieiunij tempus minime tenetur obſeruare, quin & oblatis quandoque cibis vti coguntur: ſiquidem eorum, quos eſuriales dies requirunt, poteſtas non datur. Idem exiſtimatum eſt, de ijs, qui grauibus premuntur laboribus, quos vt ſuſtinere facilius poſſint, quo minus bis in die cibum ſumerent, nulla eſt viſa lege prohibere. Hinc videre licet, quam clementer cum ſuis liberis egerit Occidentalis Eccleſia, quæ materna quadam pietate, ætati cuiuſque, valetudini, conditioni, & cuicumque tandem neceſſitati diligenter prouideri curauit, ne duris ſe legibus homines aſtrictos quærerentur. Tot igitur exceptionibus, indulgentijs, & permiſſionibus, facile erit cuique ieiunare, citraq. magnam moleſtiam fiet, & antiqua ieiunia obſeruare, & noua ijſdem ſuauiſſimis legibus adoriri,

IEIV-

IEIVNIVM, VEL IN PECCATORVM SATISFACTIONEM, vel carnis repreſſionem aſſumi.

IEiunium graue profectò onus, valdeque exoſum, & importunum hominibus foret, vtpotè, quod eſcas, quibus tam libenter, tantaq. voluptate veſcimur, non ſolum ſubtrahat, ſed & corpus affligat, maceret, atque extenuet, niſi in ſuperiorem aliquem, & excellentiorem finem, vt vtile, atque idoneum ordinaretur. Natura namque ita comparatum eſt, vt tanto fœdere, & vnione anima, & caro coniuncta, perpetuum tamen inter ſe bellum gerant. Quod & Paulus Galatis ſcribens doctiſſime, & elegantiſſime expreſſit, dicens: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur; Copioſus namque, & lautus cibus, & potus carnem armat, & prouocat aduerſus ſpiritum, ieiunium autem tela miniſtrat aduerſus carnem. Quando enim corpus cibis expletur, rebellionem meditatur aduerſus animam, & fœdus init cum gula, luxu, crapula, & venere; quando autem ex eſcis, quibus veſcitur pars ſubtrahitur, tunc primum fameſcens, & ſitiens ſpiritui ſubijcitur, & viribus imminuitur, vt imperium animæ ſubmiſſius ſequatur, & ancilletur, quæ ſerua eſt ſpiritui; qui liber, & ingenuus, & Dominus illius exiſtit. Ita enim feræ ſubſtractione cibi miteſcunt, iumenta edomantur, mancipia rebellia ad debitum Dominorum obſequium reducuntur. Ieiunium itaque vt corporis eſt inedia, ita animæ epulæ, lautiſſimum que conuiuium; contra corporis ingluuies, animi ſeueriſſimum eſt ieiunium, & afflictio. Corpus ignobilis pars eſt hominis, vtpote terrena, caduca, & mortalis, anima autem nobiliſsima, quæ participium habeat cum ipſo Deo, ad eius imaginem, & ſimilitudinem efformata, immortalemque vitam ad inſtar Angelorum adepta, bonorum quidem, ſi bona, malorum, ſi mala. Fauendum proinde eſt animæ generoſæ contra ruſticum corpus, & à parte potius illius ſtandum, quæ nobilitatis decus conciliat, & generis tandem facit nos eſſe diuini. Chriſtianũ namq. hominem, corporis, quam minimam rationem habere oportet, cum quod illius incolumitati detrahitur, animi ſanitate penſetur. Cum enim qui foris eſt noſter homo corrumpitur, is, qui intus eſt, ſicut à Paulo ſcriptum legimus, renouatur de die in diem. Vocat autem hic Paulus, eum qui foris eſt hominem, corpus noſtrum, eum vero, qui intus eſt, animum, vt quantum

Galat. 5.

2. Corint. 4.

illi detractum fuerit, tantumdem huic virium accreſcat. Quid
Pſal. 141. autem aliud eſt corpus noſtrum, quam carcer noſter, de quo edu-
ci animam ſuam, Regius Propheta petebat. Quanto lautioribus
& delicatioribus cibis infertum, & ſaginatum à nobis corpus fue-
rit, tanto duriorem, & tetriorem nobis carcerem præparamus.
Non ſunt igitur omnia corpori tribuenda, non eſt nimis delicate
fouendus, & curandus hoſtis noſter domeſticus, quo vix vllus pe-
riculoſior, aut nobis eſt magis infeſtus. Quin caſtigandum il-
1. ad Cor. 9. lud potius, & in ſeruitutem redigendum, quemadmodum Apo-
ſtolum factitaſſe ſcimus, quo minus ſpiritui rebellare queat.
Sentiendum igitur cum ſpiritu, repugnandum carni, & non vt
domina blande, ſed vt ancilla dure tractanda. Quod & Paulus
Rom. 8. ad Romanos ſcribens, elegantiſsime, vt ſolet, ediſſerit: Qui
ſecundum carnem ſunt, inquiens, quæ carnis ſunt ſapiunt, qui
ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt: Nam
prudentia carnis, mors eſt; prudentia autem ſpiritus, vita,
& pax. Et rurſus paulo inferius. Ergo fratres debitores ſumus
non carni, vt ſecundum carnem viuamus, ſi enim ſecundum
carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis morti-
1. Petri 2. ficaueritis, viuetis. Et Petrus Apoſtolorum Princeps: Chariſ-
ſimi obſecro vos, inquit, tamquam aduenas, & peregrinos ab-
ſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.
Militiam igitur carnis aduerſus ſpiritum, vterque Apoſtolus ex-
Iob 7. primit, & ſpiritus pugnam aduerſus carnem, vt & Iob prædixe-
2. Corinth. 10. rat militiam eſſe vitam hominis ſuper terram: & hinc nomen Ec-
cleſiæ militantis ortum, & arma noſtra non carnalia, ſed ſpiritua-
lia, & potentia Deo eſſe. Ex doctrina igitur ſancti Apoſtoli non ſo-
lum eam militiam docemur, ſed qualiter, & quibus armis aduer-
ſus carnem pugnandum. Ieiunium namque, & abſtinentiæ aliæ
ſpiritus tutiſſima arma ſunt, & fortiſſima tela aduerſus carnis
petulantiam, impetum, & furorem eius cohibendum, vt mens
hoſtili impugnatione remiſſa, diuinis rebus poſſit diutius, quie-
tius, atque tranquillius fœdere ſic iſto, vacare. Caro igitur
non interimenda ab Apoſtolo dicitur, ſed ſolum mortificanda: non
abijcienda, ſed ſeruanda, intra tamē limites ancilla continenda, vt
mens imperet, illa inſeruiat, & ſciat ſe dominæ munus haud
gerere, ſed ancillari ſpiritui ſupertenere. Vnde Fulgentius ad
Probam: Ieiunijs ſic eſt adhibenda temperies, vt corpus ve-
ſtrum, nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet.
Hic igitur primus eſt ſcopus, & finis ieiunij. Secundus autem, vt
Deo, de peccatis aduerſus eum commiſſis, ſatisfactionem, &

com-

compenſationem aliquam more noſtro, ad eius indignationem ſedandam, clementiam, & veniam promerendam per corporis afflictionẽ & caſtigationem, reddamus. Tria namque à Scripturis ſanctis traduntur, ieiunium, oratio, & eleemoſyna, efficaciſſima ad peccatorum remiſsionem obtinendam, vel relaxationem pœnæ pro ipſis debitæ, quæ opera ſatisfactoria à Theologis appellantur. Non quod ea ſola ſatisfactoria ſint, ſed quod præcipuum ipſa inter alia locum ſatisfaciendi obtineant, & magis in promptu ſint, vt omni tempore, loco, & occaſione ijs vtamur. Satisfactionem namque ſuam habent peregrinatio, hoſpitalitas, & miſericordia ſpiritualia opera, honor, & reuerentia, quæ parentibus, ſacerdotibus, & ſenioribus exhibetur, & ſexcenta alia, quæ tamen cum ieiunio, oratione, & eleemoſynis, haud concurrunt. Ieiunio quidem, corporis; oratione, mentis; eleemoſyna, facultatum tributum, & vectigal quoddam Deo exoluimus. Inter iſta autem tria, ieiunium facilius eſt expletu, quam oratio, aut eleemoſyna. Ieiunium namque percipiendi cibi ſuſpenſione perficitur, tempus alijs meditationibus labitur, & interim tandem fames eluditur. Oratio verò cum ſit eleuatio mentis in Deum, maiorem exigit intentionem, & difficilius à corporis ſenſibus, & cogitationibus terrenis mens ad ſuperiora retrahitur: neque perfecte, proque rei dignitate niſi ieiuno corpore orat, nam eſt in ventre repleto, ab oratione animus relaxatur. Eleemoſyna autem quæ facultatum in pauperes erogationem complectitur, difficilior, multo alijs duobus exiſtit: quod pecunia tanta ſollicitudine, & auiditate comparantur, tanta auaritia retineantur, tanta difficultate, & animi ægritudine diſpenſentur. Verum hæc facilora multo videbuntur, ſi ad alia tria difficiliora, magiſque ardua conferantur, quæ laborioſa, ac moleſtiſsima Chriſtianam intra religionem cenſentur; Confeſsionem, inquam, auricularem, qua homo detegit omnia ſua peccata alteri homini, Sacerdoti tamen, quorum obſcenitas, & turpiſsimæ cogitationes, & execrandæ, quas horret animus audire, integre propalare tenetur, quarum tibi eſſe conſcium, & tædet, & pudet, & quæ vix vllis atrociſsimis tormentis extorquerentur etiam impunitate promiſſa: Hinc erubeſcentia illa bona pars ſatisfactionis peccatorum cenſetur. Eſt & res altera non minus toleratu difficilis, coniugium nempe inter virum, & vxorem perpetuum, & indiſſolubile: quæ ſi moroſa, ſtulta, fatua, proterua, deformis, turpis, atque ebria eſſe contingat, retinenda eſt, neque vllus ſupereſt repudij, aut pœnitentiæ locus. Contra ſi mari-

tum ea ſortita furioſum, helluonem, aleatorem, rei familiaris prodigum, dotis ſuæ dilapidatorem, domeſticam diſpenſationem negligentem, nequit ſe ab eius conſortio ſubtrahere, aut ſeparare. Ita obedientiæ durius, & ferius iugum, quod per ſolemnem, licitus, probatæ religionis profeſſionem contrahitur, in quod ſi ſemel quis pedem intuleſſit, non poteſt quamdiu viuit illum retrahere; ſed firmato greſſu ſiſtendum. Sunt igitur tria hæc difficillima, neceſſario tamen perferenda, Confeſſio auricularis, coniugium, & monachatus. Primum quidem omnibus eſt vinculum peccatoribus commune, cætera ſolum ijs, qui huiuſmodi ſe voluntatibus mancipare. Poteſt enim, quiuis cælibem vitam ducere, & monachatum non vouere. Ieiunium igitur neque eſt arduum, & difficile, atque ita, & facilius exiſtit eleemoſyna, & oratione. Quare ab eius exercitatione nemo debet deterreri, ſed conari in dies veteribus noua ſemper adiunge-
Iſid. lib. 1. de re, & inedia continuo corpus macerare. Quis enim, vt Iſidorus
Eccleſiaſt. of. ait, parſimoniam non laudet, ieiunium non prædicet? Ieiunium res ſancta eſt, opus cæleſte, ianua regni, forma futuri: quod qui ſancte agit, Deo iungitur, alienatur mundo, ſpiritualis efficitur; per hoc enim proſternuntur vitia, humiliatur caro, Diaboli tentamenta vincuntur. In ieiunio enim continentiæ libamen offertur. Quid enim efficacius poteſt eſſe ieiunio? Cuius obſeruantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes diabolo vitia blanda ſuperamus. Semper virtuti cibus ieiunium fuit. De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur. Ad ſalubritatem igitur recurrendum parcitatis, remediumque ieiunij, & excercendis mentibus, & caſtigandis adhibendum corporibus. Sanctas proinde continentiæ delitias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia ſubtrahamus. At cum ieiunium orationem comitem habet, atque eleemoſynam, funiculus triplex paratur, qui nec facile rumpi, & quibuſque iniu-
Cæſarius in rijs queat reſiſtere. Nam vt Cæſarius dicit: Tale ieiunium ſine
admonit. 2. eleemoſyna eſt, quale ſine oleo lucerna. Quod, & Raphael Ar-
Tobiæ 12. changelus, Tobiam ſeniorem docuit, atque valde commendauit: Bona eſt oratio, inquiens, cum ieiunio, & eleemoſyna, magis quam theſauros auri recondere. Ieiunium igitur, tum ad comprimendos impetus carnis, tum etiam ad ſatisfaciendum pro noſtris peccatis antidotum eſt mirabile, & efficacius ad placandum Deum, & ab ipſo quidquid honeſte petimus impetran-

dum,

dum, ſi oratio, & eleemoſyna acceſſerint, quæ concordiam, & fœdus inter ſeſe conſtituunt admirandum, & duæ velut alæ ſunt, quæ ipſum perferant in ſublime.

QVOD IEIVNIVM IN SVBSIDIVM MORTVORVM *celebrari poſsit.*

OPera omnia, quæ pro ſatisfactione peccatorum à viuentibus fiunt, eadem pro animabus pie defunctorum Deo offerri poſſunt ad illarum expiationem: Sicut enim precious Sanctorum, oblationibus, ſeu ſacris miſsis, & eleemoſynis iuuari eæ poſſunt, ita & ieiunio, ſi in illarum ſuſcipiatur ſubſidium. Porro alia ſunt frequentiora, ieiunium infrequentius, illa conſueta magis, hoc inconſuetius. Pauciſſimi enim ſunt, qui pro defunctis ieiunent, plurimi tamen, qui preces fundant, eleemoſynas pauperibus erogent, Sanctos inuocent, diuinas miſſas pro ipſis celebrari faciant. Ieiunium tamen pro defunctis, Gregorius valde prodeſſe docuit, ſcribens ad Bonifacium Epiſcopum, epiſtola vltima, cuius ſententiam Gratianus inter decreta repoſuit, in hæc verba: Animæ defunctorum quatuor modis ſoluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut carorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum. Ieiunij igitur obſeruantia, in memoriam, & ſatisfactionem mortuorum ſuſcepta, ſuum obtinet locum, meritoque ſuo non deſtituitur. Commendantur namque ciues Iabes Galaad, qui in recuperandis cadaueribus Saulis Regis, & liberorum eius Ionathæ, Ieſſui, & Melchiſua ab hoſtium poteſtate, egregiam nauauerunt operam. Illi namque in prælio cum Philiſtæis conſerto ad ſaltum Gelboe occubuerunt, & ſumma ignominia affecta eorum corpora, e muris ſuſpenderant. Ad quæ recuperanda, & dedecus illud diluendum fortiſſimi illorum milites accincti, longo itinere noctu emenſo aduolarunt, & cadauera ſublata, in vrbem ſuam Iabes Galaad magna gloria comparata, ex eo facinore reduxerunt. Quæ igne prius ambuſta, vt ab impiorum, & profanorum contactu, & laniatu polluta expiarent, in nemore Iabes ſepelierunt, ſeptemque dierum ieiunium pro animarum defunctorum ſalute publicum

13. q. 2. cap. *Animæ.*

1. *Reg.* 31.

impera-

impetrarunt. Pro Saule igitur, & liberis eius tribus ieiunium à Iabes Ciuibus religioſe exolutum, & eorum in hoc opere egregia pietas in Sacris litteris commendata. Interfecto Abner inſigni viro, & primario duce, Ioab, & Abiſai dolo, & proditione, Dauid Rex ieiunio diurno ſe afflixit, ob eius tum cædē, tū vt pro eius animæ ſalute Dominum precaretur. Ieiunium præterea Hebræi publicum, & perpetuum ſuſceperunt, ob cædem Godoliæ viri primarij, quem Nabuzardam princeps militiæ Nabuchodoſor Regis Babylonis reliquijs populi Iſraelitici præfecerat, proditione Iſmaelis filij Nathaniæ patratam, non ſolum vt eum diem tamquam aduerſum, & infauſtum ſibi ipſis mœrore, & luctu tranſigerent, ſed vt pro animæ ipſius ſalute ſe quotannis macerarent, & beneficium in eum tamquam de ſe benemeritum conferrent.

4. Reg. 25.

2. Reg. 3.

Hierem. 39. & 41.

QVOD IN GRAVIBVS NEGOTIIS INCHOANDIS *ieiunium præmitti ſoleat.*

VT recto tramite in rebus agendis procederetur, felicemq. ac ſalutarem ſortirentur effectum, à ieiunio, tamquam à ſubmiſſionis erga Deum nota inchoandum Antiqui cenſuerunt: quod & Regius Pſaltes expreſſit, cum ait: Ego autem cum mihi moleſti eſſent induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinum meum conuertetur. Conſueuerunt olim ieiunium celebrantes, cilicinas veſtes induere, cinere caput conſpergere, humi cubare, & ſe totos coram Deo proſternere, quo externis ijs cæremonijs, demiſſionem, & deiectionem animi oſtenderent, & ad eius ſe maieſtatem inclinatos, & omnino ſubiectos teſtarentur. Legem namque à Deo accepturus Moyſes, à ieiunio orſus, quo aptior fieret colloquio cum ipſo miſcendo, & diuino eius vultu fruendi. Quapropter vinum, & quicquid inebriare poſſet, Aaroni, & eius filijs tabernaculum teſtimonij ingreſſuris Deus olim interdixit, vt ſobrij coram ipſo aſtarent, & vini abſtinentia dignos ſe tanto miniſterio exiberent. Saulo, & Barnabæ deſtinandis ab Eccleſia in miniſterium per totum orbem Euangelizandi, prius ieiunium præmittitur, vt Lucas in hæc verba tradidit: Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunātibus dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq. eis manus dimiſerunt. Iidem paulò poſt, Saulus, & Barnabas conſtituturi Lyſtris, Iconij, & Anthiochiæ presbyteros qui ſingulis Eccleſijs præeſſent, ab oratione, & ieiunio cœperunt. Cum conſtituiſſent illis (Lucas ait) per ſingulas Eccleſias presbyteros, & orantes cum ieiunationibus, cōmendauerunt eos Do-

Pſal. 34.

Exod. 19.

Deuteron. 9.

Leuitic. 10.

Ezechiel. 44.

Act. 13.

Act. xiv.

Domino, in quem crediderunt. Quare recte ſtatutum à Leone Papa vt ſacris ordinibus initiandi, ieiuni eſſent, & ij pariter qui illos conſecrarent.

Leo PP. Dioſcoro Alexandrino Epiſc. ep. 79. c. & habet diſt. 75 c. Quod à patribus.

QVI IEIVNIA INDICERE POSSINT.

IEiunia aut publica ſunt, quæ omnibus obſeruanda publica auctoritate indicuntur; aut priuata, quæ quiſque proprio arbitratu aſſumit. Ieiunia autem publica extra ordinem pro temporis neceſſitate imperata, non ſolum Pont. Max. in toto Chriſtiano orbe, ſed & Metropolita in prouincia, Epiſcopus in diœceſi, Patres monachorum, & fratrum in cœnobijs, & conuentibus, Rex in regno, Dux in exercitu, Rector in vrbe indicere poſſunt: ſicut & priuata Paterfamilias in domo domeſticis ſuis, ſi viderit magnis de cauſis expedire, non ſecus, atque orationem, & alia nonnulla pietatis opera imperare poteſt. Verum Principes Eccleſiaſtici peculiari, & legitima auctoritate id faciunt, qui populis regendis præſunt, & animarum præſertim cura eſt illis demandata: Seculares vero Magiſtratus minori iure hac poteſtate etiam funguntur, quando viderint in rem eſſe populi quem regunt, & id exigere vtilitatem communem. Et quidem in ſacris litteris frequẽter tam Reges, quam exercituũ Duces, ſuis, vel populis, vel militibus ieiunium imperarunt. Saul namque Iſraelitarum Rex, Philiſtæorum exercitum ſtatuens perſequi, milites ſuos ad ieiunium non ſolum hortatus, ſed ad eam obſeruantiam iureiurando adegit in hæc verba: Maledictus vir, qui comederit panem, vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis. Pugnaturus præterea Ioſaphat Rex Iudæ aduerſus Ammonitas, Moabitas, & Syrios, ieiunium exercitui indixit. Rex præterea Niniuitarum, cognita prædicatione, & vaticinio Ionæ Prophetæ ruinam, & euerſionem eius vrbis, & ciuium, qui eam incolebant, ex parte Dei comminantis, ſurrexit de ſolio ſuo, & indutus ſacco ſedit in cinere, præcepitq. ne homines, iumenta, boues, & pecora guſtarent quicquam, neque paſcerentur, aut aquam biberent, iuſſitq. vt operirentur ſaccis homines, & iumenta, & clamarent ad Deum in fortitudine. In quo certe ieiunio fides, pietas, & pænitentia illius Regis commendatur, & nouum etiam inuentum, vt bruta etiam à cibo, & potu abſtinerent, & iumenta ſaccis operirentur, ſicut & homines, in luctus ingentioris oſtenſionem ad Deum placandum. Duo igitur Reges Saul, & Ioſaphat, ieiunium exercitibus, tertius Niniuitis, quibus imperabãt præceperunt. Ciuibus Bethuliæ Ozias Primarius inter eos. Domeſticis autem priuata poſſe Patremfamilias ieiunia indicere: exemplum populo, ſenatuiq. Hebræorum Hieremias.

1. Reg. xiiii.

2. Paral. 20.

Ionæ 3.

Iudith 4. 6. & 7.

Hierem. 39. mias in hæc verba: Præualuerunt ſermones Ionadab, filij Rechab, quos præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinū: & non biberunt vſq; ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris ſui. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab, filij Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. Ad inſtar ergo Ionadab, Pater quiuis familias poteſt ſuos domeſticos ad obſeruantiam ieiunij obligare, & religionis ergo aliqua abſtinentia deuincere. Sic igitur ſe habent ieiunia publica, & priuata, & quis ea poteſt inſtituere; Sed quibus potiſſimum cauſis ea iniungi ſolita mox ſumus dicturi.

LEGITIMAE CAVSAE IEIVNIVM INDICENDI.

IEiunium extra ordinem indicendi plures cauſæ, & eæ legitimæ eſſe queunt. Et primam quidem, bellum imminens conſtituit, cuius & periculum, dubiusq. euentus, homines ad diuinam opem, præſidium, & protectionem implorandam compellit, ſollicitoſque facit precibus, & ieiunijs illum placare, ne iratus hoſtibus tradat puniendos. Cum enim Arphaxat potentiſſimus Rex Medorum anno imperij ſui duodecimo, bellum contra Iudæos moueret, Eliachim ſacerdos Domini magnus, vrbes, & munitiora eius Prouinciæ oppida viſitauit, adhortatus ſingula, vt arma aduerſus commu-
Iudith 4. nem hoſtem arriperent, & ſe tuerentur, viriliterq; pugnarent, his eos verbis adloquutus: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces noſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiunijs, & orationibus in cōſpectu Domini. Et fecerunt filij Iſrael ſecundum quod conſtituerat eis Sacerdos Domini Eliachim: & clamauit omnis populus ad Dominum inſtantia magna: & humiliauerunt animas ſuas in ieiunijs, & orationibus ipſi, & mulieres eorum: & induerunt ſe Sacerdotes cilicijs, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini: & altare Domini operuerunt cilicio, & clamauerunt ad Dominum Deum Iſrael vnanimiter. Ieiunium autem, & oratio hæc à ſummo Sacerdote indicta, fructum continuo peperit ſalutarem; vnius namque Fœminæ opera, caput Ducis præciſum, & numeroſiſſimus Chaldæorum eſt exercitus deletus. Pugnaturi Iſraelitæ cum Beniamini tis gente ſua, biſq. ab eis fuſi, nō ante victoriam obtinuerunt, quam ieiunijs, & orationibus ſe conſtringerent, & Deum ita iratū repropitiarent; ita enim legimus: Omnes filij Iſrael venerunt in domum
Iudic. 20. Dei, & ſedentes flebant coram Domino: ieiunauerunt die illo vſq; ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, & pacificas victimas. Placato autem Deo, quod antea non impetrarant, mox obtinuerunt
1. Reg. 7. Samuel præterea Propheta Domini, & Iudex, ac Princeps populi

Iſraeliti-

Iſraëlitici, cum videret deſciuiſſe eos à cultu veri Dei, & grauiſſime in eundem deliquiſſe: exercitumque Philiſtinorum in promptu eſſe, ſeque viribus ſuis diffidere, congregatis cum ſe primum aduerſus Deum peccaſſe faterentur, idolaque abiecissent, ieiunium publicum indixit. Sic enim in ſacra hiſtoria legimus: Congregate, dixit Samuel, vniuerſum Iſrael in Maſphat, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Maſphat, & hauſerunt aquam, & effuderunt in conſpectu Domini: & ieiunauerunt in die illa, & dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Hebræorum igitur populus, cum Philiſtinorum dominatu premerentur, vt ſuperare hoſtes ſuos poſſent, vires animæ, & corporis indicto ſibi reparauere ieiunio: fruſtra ſe armis certare agnoſcentes niſi prius vitijs repugnaſſent. Abſtinentes ergo à cibo, & potu, ſeueræ ſibi caſtigationis adhibuere cenſuram, & vt hoſtes ſuos vincerent, gulæ illecebram in ſeipſis ante vicerunt. Factumque eſt hoc modo, vt ſæui aduerſarij, & graues Domini, eſurientibus cederent, quos ſibi ſaturos ſubiugarant. Noua autem cæremonia vſi, numquam alibi ſacris in codicibus lecta, quò ſignificarent omnimodam abdicationem, & abnegationem idololatriæ, ideo namque hauſtam aquam publicè coram Deo effuderunt, vt quemadmodum aqua ſic abijcitur, vt nihil in vaſe remaneat à quo eſt effuſa, non color, non odor, non ſapor, ita monſtrabant, ſe ita idololatriam eliminare, vt nihil, quod ad eam ſpectaret, in ipſis permaneret: & coram Deo dicuntur effudiſſe, quod Deum in ipſa effuſione teſtem inuocarent, cordium inſpectatorem, confeſſionem dicendo, Peccauimus Domino; ſatisfactionem ieiunij obſeruantia, veram pœnitentiam, in aquæ tandem effuſione profeſſi. Saul aduerſus eoſdem Philiſtæos, Ioſaphat aduerſus Ammonitas, Moabitas, & Syrios congreſſus, vt paulo ante diximus, eodem ſe ieiunio munientes clariſsimas de hoſtibus victorias, & ſpolia reportarunt. Et Iudas Machabæus pugnaturus cum Apollonio Antiochi Aſſyriorum Regis duce, ipſo die ieiunij ſuſcepti fatigatos milites in prælium duxit, & vicit. Idem cum Lyſia alio Antiochi duce certaturus, ieiunium exercitui imperauit, legimus enim in diuinis voluminibus: Congregati ſunt, & venerunt in Maſpha, contra Hieruſalem, quia locus orationis erat in Maſpha ante in Iſrael, & ieiunauerunt illa die, & induerunt ſe cilicijs, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo, & diſciderunt veſtimenta ſua. Idem certamen initurus cum Antiocho Eupatore Aſſyriorum Rege, præcepit ſuis militibus, vt pugnam ineundam ieiunio, & oratione præuenirent: ſic enim dicitur: Omnibus itaque ſimul id facientibus, & petentibus à Domino per miſericordiam cum

S. Leo ſer. 7. de Quadrageſ.

1. Reg. 14.

2. Parali. xx.

1. Machab. 3.

ij. Mach. 13

fletu,& ieiunijs,per triduum continuum proſtrati,hortatus eſt eos Iudas,vt ſe præpararent. Victoria proinde vbique potitus,non minus pij,& religioſi viri,quam ſtrenui Ducis munere functus. Bello igitur ardente, aut certamine ineunte,ieiunij religio,vt efficax aſſumpta,ad ingens vitæ diſcrimen auertendum,& dubium pugnæ exitum felicem reddendum. In obſidione præterea,vbi maximis anguſtijs ab obſidentibus premuntur obſeſſi,ad ieiunium, & oratio-
Iudith 4. 6. & 7. nem recurritur,ſicut Ciues Bethuliæ vrbis ab Holoferne, hoſtilibus copijs cinctæ,fecerunt, patriæ liberationem inſigni facinore vnius Fœminæ, & tyranni ſæuiſſimi cędem pariter impetrantes. Deſtituti item plerique humano auxilio, in rebus afflictis, & deploratis,ſubſidium diuinum interpoſito ieiunio implorarunt. Salutare id remedium eſſe rati, quo cunctis malis ingruentibus occurra-
2.Reg. xij. tur. Ægrotante namque infante,quem ex Beth ſabee tulerat Dauid Rex,ieiunium ſuſcepit,humo iacuit,vt ſalutem pereuntis redimeret filij. Eſther prudentiſſima fœmina Aſſueri Perſarum,ac Medorum Regis vxor, vt neci Iudæorum ſubueniret, ad quam Regio erant edicto damnati,ſuaſu,& conſilio peſſimi Naaman,& tempus breuiſſimum,moræq. impatiens intercederet,neque pateret aditus vllus ad Regem,vtpote qui capitalis eſſet niſi ab ipſo vocatis,ieiu-
Eſther iv. nio triduano cum oratione populo Hebræorum imperato,quod religioſe ipſa in primis ſeruauit, ad Regem audacter ingreſſa, quicquid in ſalutem ſuæ gentis,& perniciem inimicorum petijt, impetrauit. Eſdras præterea Doctor legis, Artaxerxis Regis Perſarum clementia, cum multis ſuis popularibus concaptiuis,libere Hieroſolymam redire permiſſus,patriumq. poſtliminio repetere ſolum, inops conſilij, ad Deum preces publicato ieiunio effudit, vt eos in viam tutiorem dirigeret: ſic enim habent Sacræ hiſtoriæ verba. Et prædicaui ego Eſdras ieiunium iuxta fluuium Ahaua,vt affligeremur coram Domino Deo noſtro, & peteremus ab eo viam rectam nobis,& filijs noſtris,vniuerſæq. ſubſtantiæ noſtræ. Proſpere poſt,& læte cuncta eo ieiunio,& oratione præmiſſis,euenerunt, Deo illorum res benigne curante. In omni præterea agone certaminis Chriſtiani vtilitas continentiæ plurimum valet;ita vt quidam ſæuiſſimorum ſpiritus dæmonum,qui ab obſeſſis corporibus nullis exor-
Matth. 17. Marci 9. cizantium fugantur imperijs,ſola ieiuniorum,& orationum virtute pellantur,dicente Domino: Huiuſmodi genus dæmoniorum nō eijci niſi in ieiunio,& oratione. Vnde liquet,diuerſa genera dæmoniorum,alia orationem,alia ieiunium,alia eleemoſynas, alia fidem firmam plus timere,prout ſinguli ſunt ad has, vel illas res magis affecti. Ad imitationem denium Chriſti ieiunia populo ſuo iniuncta,vt Quadrageſimæ;ad gratiarum actiones, vt Tempora dicta,

I quæ

quæ Æſtate pro frumentaceis, & hordeaceis frugibus; Autumno pro vino, Hyeme pro oleo, bonorum omnium largitori rependuntur; aut demum magnas feſtiuitates, & ſolemnitates præcedunt, vt quæ vigiliæ dicuntur, & Aduentus ieiunium ijs, qui illum recipiũt, quaſi Natalis Chriſti obſeruantia, tantę feſtiuitati conueniens. Sęuiente præterea peſte, vel epidimialibus morbis, ieiunia cum oratione conuenientiſſime ſuſcipiuntur, ad iram Dei, qui hæc mala immittit placandam; ſicut à Magno Gregorio & alijs Pontificibus aliquando factum, proceſſionibus, & litanijs adiunctis. Ad hæreſũ incendia reſtinguenda, & diſsidia in religione componenda, & quęuis alia mala imminentia propulſanda; ad pluuiam, ſi deficit, poſtulandam, & ſi ſupereſt, cohibendam; ad terræmotus continuos; ad proſperam nauigationem, & alia multa ſimilia, conuenienter publica poſſunt indici ieiunia, quæ tamen tempore famis non imponuntur, quia ipſa fames ieiunium eſt ſeueriſſimũ. Priuata autẽ ieiunia quilibet, ſiue ex voto, ſiue ſuo arbitratu prout illi placet, & expedire magis videt, & cauſæ priuatæ vrgentiores exiſtunt, ſibi imponit. Quale erat illud Phariſæi, qui bis in Sabbatho ieiunabat, ſecunda inquam, & quinta Sabbathi, hoc eſt ſecunda, & quinta ferijs. Hæ igitur fermè ſunt cauſæ regulares publicorum ieiuniorum indicendorum, & iamdiu indictorum: & ſi quæ aliæ vnquam emergant, ad has conuenientiſſime referri, ac reduci poſſunt. Sed diſtinctionem nunc ieiuniorum exponamus.

DIVERSA ESSE GENERA, & conditiones ieiuniorum.

IEiunium in perfectum, & in imperfectum, cum ſacræ litterę, tum etiam veteres Patres diſtinxerunt. Imperfectum quidem appellarũnt, quod in peculiari ſolum ciborum abſtinentia ſecundum Eccleſiæ pręſcriptũ conſtabat: neque oratione, eleemoſyna, alijſue operibus bonis ſociatum, à carnibus dumtaxat tẽperando, ſemelq. ſtata hora comedendo perficiebatur. Eccleſia namque quæ ieiunia fidelibus publica indixit, nihil aliud ab ijs exigit, quam hanc ita cœremoniam obſeruari, quæ exteriorem cultum proteſtetur. Homines namque vident, quæ parent, Deus autem intuetur cor: Hinc Eccleſia, cuius iudicio occulta non ſubſunt, neutiquam poteſt, niſi de ijs, quæ palam fiunt, & in propatulo ſunt, iudicare: cætera Dei examini relinquuntur. Quo fit, vt in hunc modum ieiunans etiam extra ſtatum gratiæ diuinæ, Eccleſiæ præcepto tunc ſatisfaciat; æternæ tamen vitæ, neque meritum, neque premium aſſequatur. Itaque Eccleſia in ſuo foro ieiunia multa probat, quæ tamen Deus in ſuo non recipit, ſed detrectat; idq. per Eſaiam Prophetã teſtatur,

Esaiæ 58. Habetis sua ieiunia obijcientibus, dum dicitur: Quare ieiunaui-
mus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti. Ec-
ce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debito-
res veſtros repetitis: Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis, &
omnes debitores veſtros repetitis: Ecce ad lites, & contentiones
ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare vſque ad hanc
diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. Numquid eſt tale ie-
iunium, quod elegi per diem affligere hominem animam ſuam? nũ-
quid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerē
ſternere? Numquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem
Domino? Vt recte dixerit Iſidorus in Amos Prophetam: Qui cibis
abſtinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adeſt,
Zachar. 7. & cibus deeſt. Et per Zachariam rurſus ſacerdotibus, & populo
terræ, inquit: Cum ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & ſeptimo
per hos ſeptuaginta annos, numquid ieiunium ieiunaſtis mihi? ie-
iunia ergo non placere, aut grata fore Deus indicat, quæ charita-
te, & beneficentia eſſent deſtituta, & mente ſordibus inquinata:
Hincque colligimus, per ſeptuaginta ante annos, ieiunia quinti, &
ſeptimi menſis, & non ante celebrari cœpta ab Iſraelitico populo.
Eccleſiaſ. 34. Et alibi: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid pro-
ficit lauatio illius? Sic homo, qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum
eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis
exaudiet? Similis ieiunans in peccatis illi eſſe dicitur, qui cum te-
tigerit mortuum expiatur, & mox contingens aliud cadauer denuo
polluitur: & eadem peccata repetit, quo ieiunium reddatur ineffi-
cax, & peccatis eius fructus præpediatur futurus. De hoc imperte
etiam iuſſio Ambroſius loquitur, cum ait: Abſtinentia ſola ciborũ
non ſufficit, niſi opera etiam bona adiungantur, nihilq. prodeſt
S. Greg. in Paſtorali. ventrem ab eſcis reſecare, & animam paſſionibus obruere. Et Gre-
gorius: Incaſſum, inquit, per abſtinentiam corpus atteritur, ſi inor-
dinatis motibus dimiſſa mens vitijs depredatur. Et Hieronymus;
Quid prodeſt, ait, tenuari corpus abſtinentia, ſi animus intume-
ſcat ſuperbia? Quid virtutis habet vinum non bibere, atque odio
S. Leo Papa de ieiunio 7. menſis. inebriari? S. Leo Papa egregie, vt ſolet, hoc idem confirmat: non in
ſola, ait, abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma ieiunij: Haud fructuo-
ſe corpori noſtro eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate reuoce-
tur, & ab obtrectatione lingua cohibeatur. Hoc igitur ieiunium,
quod deſcripſimus, & ſordibus mentis celebratur, carnale duntaxat
eſt, & imperfectum, vitijs permixtum, & proinde non eſt meritorium
æternæ vitæ, licet opus ſit bonum, & Eccleſiæ præcepto ſatisfaciēs
& ſua benignitate, liberalitate, & clementia Deus alijs rebus tem-
poralibus compenſet; neque enim vnquam apud ipſum bonum,

qualecumque eſt ſine remuneratione, & præmio, ſicut malum abſq. ſupplicio. Aliud autem ieiunium, quod ab hominibus charitatem habentibus ſuſcipitur, nec vitijs permixtũ, ſed potius ſanctis operibus alijs comitatum, perfectũ dicitur, cum non tam carnis, quam ſpiritus particeps ſit. Quod magnũ, & generale ab Auguſt. vocatur dicenti: Ieiunium magnum, & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſeculi, quod eſt perfectum ieiunium. In hoc ergo ſeculo, quaſi abſtinentiam Quadrageſimæ celebramus cum bene viuimus, cum ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus abſtinemus. Sed quia hæc abſtinentia ſine mercede non erit, expectamus beatã illam ſpem, & reuelationẽ gloriæ magni Dei & Saluatoris Ieſu Chriſti. Et idem alibi de eodem ieiunio loquens, inquit: Ieiunium purgat mentem, ſubleuat ſenſum, carnem ſpiritui ſubijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit; libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit. Hoc genus ieiunij Dominus per Eſaiam edicit, dum ait: Nolite ieiunare vſque ad hanc diem. Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? diſſolue colligationes impietatis; ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos: & omne opus diſrumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet, quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia, & gloria Domini colliget te. Ad hoc idem ieiunij genus Ioel Dei nomine Hebræos hortabatur. Conuertimini, inquiens, ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Opera igitur miſericordiæ tempore ieiunij exercenda, & non tam veſtimenta diſcindenda, qui mos erat Hebræis in ieiunio celebrando, quam corda conterenda, vt ita pœnitentibus diuinus ſplendor mentium caliginem illuſtraret: & eſurientibus ſaturitas cæleſtis obtingeret. vt & Chriſtus per Matthæum promiſit: Beati, inquiens, qui nunc eſuritis, quoniam ſaturabimini. Perfectum ieiunium Hieronymus Demetriadi commendat, in hæc verba: Ieiunium non ſolum perfecta virtus, ſed cæterarum virtutum fundamentum eſt, ſanctificatio, & pudicitia, atque prudentia, ſine qua nemo videbit Deum. Et Ambroſius: Ieiunium, inquit, mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt caſtitatis: hoc gradu ad Deum citius peruenitur, hoc gradu, antequã curru Helias aſcẽdit. Vitiatur autẽ ieiunium ex 4. præcipue capitibus: Primum ſi gloria eo hominum quæratur non Dei, & ad oſtentationem fiat, auramq. popularem

Auguſ. ſuper Io: tract. 17. & habet. de conſ. diſt. 5 c. ieiunium.

Aug. ſerm. de ieiunio.

Eſaie 58.

Ioel 2.

Matth. 5.

Hiero. ad Demetriadem.

captan-

captandam;quale multorum Phariſæorum, & hypocritarum fuit, quod Chriſtus acriter reprehendit, docens modum, & conditiones

Matth. 5. recti ieiunij faciendi: Cum ieiunatis, inquiens, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt videantur hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Mœſtitiam vultu ſimulabant, & exterminabant facies ſuas, cineribus ſuperiniectis, quos à capite in faciem ſinebant excidere, vt fœdiores, & ſordidiores, ac incomptiores apparerent; & inde probitatis, & abſtinentiæ ſpecimen à conſpicantibus hypocritica illa ſimulatione aucuparentur; quos recepiſſe mercedem ſuã Chriſtus teſtatur, qui non Deo, ſed hominibus placere cupiebant, nec propter Deum, ſed propter homines ieiunabant. Modum autẽ Saluator noſter ieiunij ſuſcipiendi continuo docet, quod non hominũ plauſus excipiat, & fauor, & inanis gloria intuentium vitiet: Tu autem, inquiens, cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſconſo, & Pater tuus, qui videt in abſconſo reddet tibi. Caput cineribus aſpergi ſolitum in ieiunio, vngi iubetur, & facies deturpata ablui, quo occaſio gloriæ humanæ aucupãda tolleretur. Multũ enim periculi ſuſtinẽt imperfecti, cũ opera ſua oculis humanis ſpectãda obijciunt. Quod vt magno ſtudio cauerent idem Chriſtus admonuit,

Matth. 6. cum ait: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrẽ veſtrum, qui in Cælis eſt. Cum autem pari diſcrimini eleemoſyna, & oratio, ſatisfactoria opera, ſubijciãtur, in ijs præcipue, atque in ieiunio ad uertendos homines duxit. Cum ergo facis eleemoſynã, inquiens, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. & de oratione ſubiungit: Et cũ oratis nõ eritis ſicut hypocritę, qui amãt in Synagogis, & in angulis platearũ ſtãtes orare, vt videãtur ab hominibus: Amen dico vobis receperunt mercedẽ ſuã. Tu autẽ cũ oraueris intra in cubiculũ tuũ, & clauſo hoſtio ora patrẽ tuũ in abſcõdito, & Pater tuus, qui videt in abſcõdito reddet tibi. Tribus igitur vitijs, quę ieiuniũ, eleemoſynam, & orationẽ turbare, & perdere ex prauo fine poſſunt, tria medicamenta adhibita, & quæ ſeruare incolamia, & intra meriti fines cõtinere queãt, Chriſtus edocuit. Hic igitur primus in ieiunij obſeruantia ſcopulus cauẽdus, ad quem facile alliſa operationis noſtræ nauis, ſi non inuigilamus, naufragabitur. Secundum obſeruandum, vt non ſit nobis ſolitarium

rium ieiunium, ſed quos diligit, comites habeat, orationem, & iuſtitiam; vel certe eleemoſynam cum oratione. Nam vt Hieronymus ait: Non ſanat oculum, quod calcaneo adhibetur; ieiunio paſſiones corporis, oratione peſtes ſanandæ ſunt mentis. Et Bernardus; Oratio, inquit, iuſti penetrat cælos. Sint ergo ieiunio noſtro, vt facile cælos penetret, alæ duæ, orationis atque iuſtitiæ. Ieiunium orationem, deuotionem, & fiduciam donat, oratio virtutem impetrat ieiunandi; & ieiunium meretur gratiam ieiunandi, Ieiunium orationem roborat. Oratio ſanctificat ieiunium, & repræſentat Domino. Veruntamen ieiunium ſanctificari bonis operibus adiunctis, qualia ſunt oratio, & eleemoſyna Gregorius cenſet, cum ait; Ieiunium ſanctificare, eſt adiunctis bonis alijs, dignam Deo carnis abſtinentiam oſtendere. Admonendi autem ſunt abſtinentes, vt nouerint, quia tunc placentem Deo abſtinentiam offerunt, cum ea, quæ ſibi de alimentis ſubtrahunt; Indigentibus largiuntur. Permittit Auguſtinus diuites cibis conſuetis, licet delicatioribus veſci, dummodo viles pauperibus largiantur, cum ait; Non cogantur diuites pauperum cibis veſci, vtantur conſuetudine infirmitatis ſuę; ſed doleant aliter ſe non poſſe ſuſtentari; ſi conſuetudinem mutant, ægrotant. Vtantur ſuperfluis dent inopibus neceſſaria; vtantur pretioſis, dent pauperibus vilia. Tanta eſt vis eleemoſynæ, tanta eſt illi virtus delendi peccata, vt multa diſsimulari poſsint, multa indulgeri, ſi largius in pauperes conferatur. Ieiunium abſq. eius, & orationis conſortio ſteriléſcit & veluti calore eleemoſynæ deſtitutum emoritur. Adhibe orationem, adhibe eleemoſynam, continuò germinabit, & vireſcet, lacrymis orationis irrigabitur, & eleemoſynæ calore fouebitur, & tandem fructus eius ſuauiſſimos deguſtabis; Absq. eleemoſyna, non tam Deo, quam ſibi quiſque ieiunat; cum eleemoſyna tamen, & Deo, & ſibi videtur ieiunare. Vnde Greg: Non Deo, ſed ſibi ieiunat, qui quæ ventri ad tempus ſubtrahit, non inopibus tribuit, ſed ventri poſtmodũ offerenda cuſtodit. Et Max. Epiſc. Ieiuniũ Chriſtiani, ægentis debet eſſe refectio. Vitiũ igitur ſecundum quod in ieiunio intercedit, eſt oratione, vel eleemoſyna deſtitui, quo minus ſit ſalutare. Sed eſt & tertiũ, gula, & crapula ieiuniũ ſubſequẽs, quæ eius vires retundit, & eneruat, & meritũ quandoq. eiuſdem exterminat, atq; euertit. Spernitur namq. ieiuniũ, quod ſtata hora repletione ciborum reficitur. Egregie Greg: Ad conflictum, inquit, ſpiritualis agonis non aſſurgitur, ſi non infra noſmetipſos prius hoſtis poſitus gulæ videlicet appetitus edomatur. Quia ſi non ea, quæ ſunt nobis viciniora, proſternimus, inaniter ad ea, quæ longius ſunt impugnanda, tranſimus: Incaſſum namque contra extraneos inimicos

Hieronymus ad Demetr.

Bernar. ſerm. 38.

Gregorius in Paſtorali.

Auguſtin. de diffinit. rectæ fidei.

Gregorius in Paſtorali.

Maxim. Epiſcopus in ſer. de natali.

Gregor. l. 30. Moralium.

in.

in campo bellum geritur, ſi intra vrbis mœnia ciuis inſidians habeatur. Et Hieronymus: Quale eſt illud ieiunium, inquit, aut qualis refectio poſt ieiunium, cum præclaris epulis diſtendimur, & guttur noſtrum mediator efficitur lacrymarum. Auguſtinus præterea candē confirmat ſententiam, ſtudium exquiſitorum ciborum, & nimium pretium damnat, cum ait: Qui ſic ſe a carnibus temperant, vt alias eſcas difficilioris præparationis, & pretij maioris inquirant, multum errant; non enim eſt hoc ſuſcipere abſtinentiam, ſed mutare luxuriam. Tantum ergo cibi & potionis adhibendum eſt in ieiunio, vt reficiantur vires, non vt opprimantur. Modicus namque, & temperatus cibus, & carni, & animæ vtilis eſt. Hæc Hieron. Inde eſt, inquit, quod nonnulli vitam pudicam appetentium, in medio itinere corruunt, dum ſolam abſtinentiam carnium putant, & leguminibus onerant ſtomachum, quæ moderate, parceque ſumpta innoxia ſunt. Et, vt quod ſentio loquar, nihil ſic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, ſicut indigeſtus cibus, ructuſque conuulſus. Non igitur ſic auaritia quatit, inflat ſuperbia, delectat ambitio, atque gula, & crapula in ieiunio. Facile alijs caremus vitijs, hic hoſtis nobis intus eſt. Quocumque pergimus nobiſcum inimicum portamus. Nam, vt Ambroſius ait, fames amica eſt virginitati, inimica laſciuiæ, ſaturitas vero prodigit caſtitatem, nutrit illecebrum. Qui continet igitur ventrem ſuum, minuit vitia; & qui vincitur ab eſcis, augmentat vitia: nam vt incrementum ignis eſt ſylua, ita incrementum ventris eſca multa: Eſcis libido creſcit, ieiunio moderatione cibi ſubſequuta gula, & luxuria ſuperantur. Non ergo reputanda eſt abſtinentia, vbi fuerit ventris ſaturitas ſubſequuta, vt Ambroſius atteſtatur, fructus ieiunij perditur, dum ingluuie, & voracitate terminatur. Videntur enim quidam ieiunare, vt ardentius, & ſtudioſius ſe expleant, & abſtinentiam ſuſceptam duplicato cibo reficiant; cumque abſtinentia ſit ſubſtractio ciborum ratione moderata, hi cibos cumulant, nullamque prorſus moderationem adhibendam in ieiunij refectione cenſent. Tanta præterea auiditate, & intentione eſcis veſcuntur, vt non tam edere, quam ipſis mentem dementare, & alienare, & epulis veluti obruere videantur, vt rectiſſime Gregorius dixerit, non cibum, ſed appetitum in vitio eſſe. Vnde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abiectiores non ſine conſcientiæ reatu degustamus. Et idem rurſus: Sanctius eſt modico vino vti propter infirmitatem, quàm multa aqua ingurgitari propter auiditatem. Doctiſſime quidem id diſſeruit Auguſtinus: fieri poteſt, inquiens, vt ſine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis pretioſiſſimo cibo ſapiens vtatur; inſipiens autē, fœdiſſima gulæ flāmā in vilissi-

Aug. ſer. Domin. 4. Adu.

Hiero. eſ. ad Furiam.

Greg. lib. 30. Moralium.

Greg. in reg.

Aug. lib. de doctr. Chriſt. & habet. di. 50 c. quiſquis

viliſſimum olus ardeſcat. Et ſanius quiſque maluerit, more Domini, piſce veſci, quam lenticula more Eſau nepotis Abrahæ, aut hordeo more iumentorum. Non enim propterea continentiores nobis ſunt pleræq. beſtiæ, quia vilioribus aluntur eſcis: nam in omnibus huiuſcemodi rebus, nõ ex earum rerum natura quibus vtimur, ſed ex cauſa vtendi, & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum eſt, quod facimus. Et idem alibi: Delitiæ quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, non afficiunt, & viles cibi appetenter accepti impediunt profectũ abſtinentiæ. Dauid enim aquã male concupitã effudit, & Elias carnẽ comedit. Neque ſola gula, crapula, & auiditas ingens ciborum poteſt offendere, & inuertere abſtinentiam, ſed etiam auaritia, ſi ieiuniũ ob minorem ſumptum, & compendiũ rei numariæ fiat. Vnde verſu quodam ſuperiori ſeculo annotata diuerſa abſtinentiarum genera; quædam quæ cum merito, quædam quæ cum peccato, quædam quæ citra peccatum, & meritum fiebant. *Auguſtin. in ep. Ioan. & habetur diſt. 41. delitia.*

Aeger, egens, cupidus gula, ſimia, virtus.

Æger namque abſtinet, quod omnem cibum faſtidiat, adeo, vt neque odorem illius, aut aſpectum ferre poſſit: vel quod ratio valetudinis eius expoſtulet inedia, vel dieta curari. Quæ abſtinentia, quoniam ad corpus refertur, nihil ad Dei cultum pertinet, nec cum religione aliquid habet commune. Abſtinet egens, quia quod edat non habet. Vtraque abſtinentia, etſi vitio careat, laudem tamen apud Deum non meretur. Abſtinet cupidus, & auarus, vt diximus, vt nequid in victum inſumat. Abſtinet guloſus, vt poſtridie maiori cum voluptate cibum ſumat, præſertim ad magnum aliquod conuiuium inuitatus. Abſtinet ſimia, hoc eſt hypocrita, vt ab hominibus videatur: Hæc tria abſtinentiæ genera, tantum abeſt, vt Deo grata ſint, vt peccare etiam dicantur, qui ad hunc modũ abſtinent. Ex tot igitur generibus abſtinentiæ, ſolum hoc fieri cum virtute dicitur, ſiquis hoc ſolo nomine ieiunet, vt vel magis idoneũ ſe reddat ad ſeruiendum Deo, vel pro peccatis ſuis ſatisfaciat. Sed ad quartum vitium veniamus, quod ſolet ieiunium dehoneſtare: imprudens nempe abſtinentia, & indiſcretus modus ieiunandi. Sunt enim non pauci, qui in ſeipſos ita deſæuiunt, ita ſe ieiunijs macerant, vt ſe breui inutiles reddant, & nequeant amplius ieiunare, cũ poſſent diutius ſe ſeruare, & ad alia Domino obſequia præſtanda manere. Iniquum namque eſt alienum ſeruum, vel ancillam ita ſemel labore opprimere, vt non valeãt poſtea conſuetas vires reparare. Quare moderatio adhibenda, & ſolum tentanda, quę licent, & vltra metam non progrediendum; nę dum victimam noſtri corporis Deo offerre arbitramur, eius indignationem, vt temerarij, & plagiarij, atque rei nobis commiſſæ crudeles adminiſtratores, incurramus. Neque enim aliã magis ob cauſam Deus in omni

iuſſit ſacrificio ſal offerri, quam vt omnes humanas actiones prudentiæ temperamento condiremus, nihilque ſibi fore gratum, aut acceptum, ſi hoc eſſet ſapore, & gratia deſtitutum. Vnde Gregorius: Per abſtinentiam, inquit, carnis vitia extinguenda ſunt, non caro. Sic neceſſe eſt, vt artem continentiæ quiſque teneat, quatenus non carnem, ſed vitia occidat: ſæpe enim dum in illa hoſtem conſequimur, etiam ſeuere quem diligimus trucidamus, & ſæpe dum quaſi conciui parcimus, ad prælium hoſtem nutrimus: Et alibi: Abſtinentia virtus nulla eſt, ſi tantum quiſque corpus non edomat, quantum valet: aut valde inordinata eſt, ſi atterit plusquam valet. Sicut igitur carnis indulgentia, ita nimia oppreſsio, & deiectio eius vitioſa eſt: media via tenenda atque pro banda, nempe non vt dominam, ſed vt ancillam viuere eam patiamur: & in multos annos eius obſequium, vt valde conducens ſpiritui prorogemus, quouſque obitu intercedente ſpiritus imperare, corpus ancillari deſierit. Sic enim Chriſtus oraculo Beatam Birgittam viduam Sueuiticam docuit, dum quæreret de ieiunantibus in pane, & aqua: cui ita reſpondet: Quia tempora mutata ſũt, loca frigida, corda tepida, & vaſa debilia, ideo locator palmitũ mitigare poterit aſpera, & arida ſiccis irrigare: Hoc ſic eſt intelligendum, quod permiſſum ieiunantibus in pane, & aqua poſſe comedere legumina, & aquam coctam bibere: nam aridus eſt panis, & arctus, ſine leguminibus; & aſpera, & frigida eſt aqua, niſi coquatur more ptiſanæ, aut hordeo excolatur. Et iterum cum B. Birgitta iter ſuſciperet ab vrbe Roma ad Amalfim, viſitatura corpus S. Andreæ Apoſtoli, & ex voto ieiunium ante Natalem, ſeu Aduentus obſeruaret, affligtareturq. penuria piſcium, & Deum in ſubſidium precaretur, illi in hæc verba reſpondit: Piſces ſunt multum frigidi & tempus non eſt multum calidum, via difficilis, & petroſa, & vos infirmi, ideo quæ inueniuntur comedite: Ego enim ſuper omnia vota ſum, & quæ ſunt ad honorem Dei, & honeſtam ſuſtentationẽ carnis, non imputabuntur ad peccatum. Carnis igitur humiliationem, & afflictionem Deus vult, non exterminium. Regi prætèrea Suetiæ, inter ſeptem conſilia, quæ illi dantur à Chriſto per reuelationem factam eidem Birgittæ, quintum eſt, vt ieiunet vigilias Sanctorum, & matris ſuæ, quæ ab Eccleſia Sãcta ſunt inſtituta. Sextam vero feriam ieiunet in piſcibus, & Sabbathum ſi voluerit in lacticinijs. Quadrag. verò obſeruet iuxta morẽ patriæ. Heliæ Prophetæ latenti prope torrentẽ Carith, Deus miniſterio coruorum illũ pauit, qui mane panem, & carnes veſperi tantũdem illi adferebant, vt bis quotidie reficeretur, & aquam biberet de torrente. Quamquam enim epularum delitias, & vini potum, alimenta tamen

Greg. lib. 30. Moral.

Gregor. l. 20. Moralium.

S. Birgitta reuel. extr. 13.

B. Birgitta reuel. extr. 99.

B. Birgitta reuel. lib. 8. c. 2.

3. Regum 17

tamen honeſta, quibus paſceretur, Deus non ſubtraxit, Paulo primo Eremiticam vitam profitenti ſexaginta continuis annis per coruum quotidie panem dimidiatum miniſtrauit, quo cum palmarum fructibus, & oleribus veſceretur. Non enim improbus exactor eſt Deus, ſed mitiſſimus, & æquiſſimus præceptor, & pater, qui omnia à nobis ſumma moderatione, & ſuauitate vult ipſi præſtari. Quare ieiunia à nobis non biduana, aut triduana expoſtulat, non quæ nimium debilitent, ſed quæ ſanent. Vnde Hieronymus: Non dico, ait, hebdomadas, non dico multiplicata ieiunia, ſed vel ſingulos dies abſque ciborum luxuria tranſigamus. Et alibi: Sint tibi ieiunia pura, & continua, moderataque, id eſt, quotidie eſurire, & quotidie prandere. Apoſtolus inquit: Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vtere vino propter infirmitatem tuam. Curat enim vulnera delinquentis, curatoſque ſanctificat ad ieiunium. Si igitur ieiunia noſtra perfecta fuerint, ita vt culpis interim dum ieiunamus abſtineamus, ſi comites fuerint ſortita orationem, & eleemoſynam, ſi inani gloriæ, & gulæ non ſubſint; ſi indiſcretæ non fuerint, ſi ab ijs vitijs, quibus plurimum infeſtantur, libera, haud dubium fructuoſa futura, & diuinam gratiam, beatitudinemq. vitæ æternæ promeritura.

S. Hieron. in Pauli vita.

Hier. ad Euſtoch. de cuſtod. virgi. & ad Nepot. de vita Cler. & habetur de cõſecr. diſt. 5. nõ dico ſint tibi.

IEIVNIVM MORBIS CVRANDIS, valetudinique conducere.

ABſtinentia ciborum non ſolũ ægritudinem mentis curat, ſed corporis etiã morbis, & incõmodis medetur. Et quidem ieiunio, vitia cõprimuntur mens eleuatur in cæleſtia, virtutes & præmia eius gratia à Deo conferuntur hominibus. Et hæc ſatis, ſuperq. eſſent, nullisq opibus cõparanda. Sed & alia minoris momenti, & eius obſeruantia adiecta, non vtiq. contẽnenda, mortalib⁹ eueniũt; bona inquã, corporis valetudo, & ſanitas. Eloquentiſſime, vt ſolet, Io: Chr hoc idem docuit in hæc verba à Gratiano inter decreta relata: Nihil enim ſic iucundũ eſt, ſicut cibus bene digeſtus, & decoct⁹ nihil ſic ſalutem, nihil ſic ſenſuum acumen operatur: nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio. Sufficientia quippe cum nutrimento, & ſoſpitatem ſimul procreat, & voluptatem; abundantia verò morbum facit, & moleſtias ingerit, & ægritudines generat: quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo facit ciborum, magis autem, & multo peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat de hac vita pœnali: exceſſus vero ciborum conſumit, & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tunc eum morte crudeli conſumit. Hæc ſcitiſſime

Chriſ. homil. 69. ad caput xij. ep. ad Hebraos, & habetur de con. diſt. 5. c. Nihil enim.

Hieron.lib.ij. ad Ionin. & habetur de cõ ſecr.diſt.5. c. Ne talis.

Chryſoſtomus. Sed & Hieronymus, ad eandem abſtinentiam, & parſimoniam, reparandæ, & conſeruandæ bonæ valetudinis gratia, inuitans, ait: Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comeſos magno partos, & perditos labore, doleamus. Olerum, pomorum, ac leguminum, & facilior eſt apparatus, & arte, impendijſque coquorum non indiget, & ſine cura ſuſtentat corpus humanum: moderateque ſumptus (quia nec auide deuoratur, quod irritamentum gulæ non habet) leuiori digeſtione concoquitur. Nemo enim vno, aut duobus cibis, hisq. vilibus vſq. ad inflationem ventris oneratur: quæ diuerſitate carnium, & ſaporis delectatione percipitur. Cum fumant varijs patinæ nidoribus, ad vſum ſuum expleta eſurie quaſi captiuos trahunt. Vnde & morbi, ex ſaturitate nimia concitantur: multiq. impatientiam gulæ vomitu remorantur, & quod turpiter ingeſſerunt, turpius egerunt. Hyppocrates in Aphoriſmis docet craſſa, & obeſa corpora, quæ creſcendi menſuram compleuerint, niſi cito ablatione ſanguinis imminuantur, in paralyſim, & peſſima morborum genera erumpere: & idcirco eſſe neceſſariam demptionem, & rurſus habeant in quæ poſſint creſcere, Non enim manere in vno ſtatu naturam corporum, ſed aut creſcere ſemper, aut decreſcere; nec poſſe viuere animal, niſi creſcendi capax ſit. Vnde Galenus vir doctiſsimus, Hyppocratis interpres, Athletas, quorum vita, ars, & ſagina eſt, dicit in exercitatione medicinæ, nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe, animasq. eorũ ita nimio ſanguine, & adipibus quaſi inuolutas, nihil tenue, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare. Iſdemq. rurſus: legimus quoſdam morbo articulari, & podagræ humoribus laborantibus, proſcriptione bonorum ad ſimplicẽ menſam, & pauperes cibos redactos, conualuiſſe; caruerant enim ſolicitudine diſpenſandæ domus, & epularum largitate, qua & corpus frangunt, & animam: Irridet Horatius appetitũ ciborum, qui conſumpti relinquunt pœnitentiam,

De con diſ.5. c. legimus.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.
Me pinguem, & nitidum bene curata cute viſes:
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Hinc Medici matrem ſanitatis abſtinentiam vocant. Multos enim morbos fercula multa ferunt, & quot coqui, tot demum morbi numerandi. Infelices propterea exiſtimandi, qui ſe intelligunt maiorem famem habere, quam ventrem, cum paucis, minimisque natura contenta ſit, cuius ſatietatem ſi ſuperfluis vrgere velimus,

aut iniucundum erit, quod infundemus, aut noxium. Hæc proinde ſana, ac ſalubris forma vitæ tenenda, vt corpori tantum indulgeamus, quantum bonæ valetudini ſatis eſt: Cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit aduerſus infeſta corporis. Et licet venter poſcat, appellet, non eſt tamen moleſtus creditor, paruo dimittitur, ſi modo damus illi, quod debemus, non quod poſſumus: nam vētri obedientes, belluarū loco numeremus oportet non hominum, quorū profunda, & inſatiabilis gula, hinc maria ſerutatur, hinc terras alia hamis, alia laqueis, alia retium varijs generibus cum magno labore perſequuntur, nulliſq. animalibus, niſi magno faſtidio pax eſt. Et cum vna ſylua pluribus Elephantibus ſufficiat, homines guloſi, vix paſcuntur terra, & mari. Initiū vitæ hominis, panis & aqua: At nunc quicquid piſcium natat, quicquid auiū volitat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris ventribus ſepelitur. Faſtidientis profecto ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ vbi varia ſunt, & diuerſa, inquināt magis, quā alunt. Quare rectiſſime in ſacro Eccleſ. libro admonemur his verbis: Noli eſſe auidus in omni epulatione, & non te effundas *Eccleſiaſ. 37.*
ſuper omnem eſcam, in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adijcit vitam. Inſatiabiles reprehenduntur, qui propoſitis variorum ciborum delitijs, ita auidos & incontinentes ſe præbent, quaſi ſaturari non poſsint, & ſinunt effrene animas ſuas effundi, & impetu deſiderij ſui efferri ſuper omnem eſcam, quæ adhibetur, & eorum concupiſcentia appetit. Per eſcas autem multas bilis augmentum, & morbi varij ob repletionem ingruunt, & morbos mors feſtinantior ſequitur: plures enim occidit crapula, quam gladius. Contrà, qui abſtinens eſt, adijciet ſibi vitam longiorem, & diuturniorem ſibi ea via comparando. Saluator quoque moderationem in cibo, & potu ſeruandam ſerio monet, ſublimiorem tamen rationem adducens, cum dicit: At- *Lucæ 21.*
tendite ne forte grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & ſuperueniat in vos repentina dies illa, tamquam laqueus enim ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem terræ. Nimia igitur ingluuies, & ingurgitatio ciborum vitam eneruat, & veluti exhaurit. Quare documentis Scripturæ Sacræ vtamur, oportet, quæ habent: Vtere quaſi homo frugi his, quæ tibi ap- *Eccleſiaſt. 31.*
ponuntur, & cibus tuus, quo veſceris erit in pondere. Cibus *Ezechiel 4.*
namque ſumendus, ſicut naturæ humanæ, & homini rationem vtenti expedit, temperate ſupple, & honeſte, non autem inſtar belluæ, cibus vorandus, & in diuerſas partes diſtrahendus, iuxta ſapientis ſententiam: Iuſtus, inquit, comedit, & replet animā ſuam:

venter

venter autem impiorum inſaturabilis, Abſtinentes quidem, & ſobrij edunt, quantum volunt, & lubet, & ſufficere iudicant ſuſtinendę, & conſeruandæ naturæ; epulones autem neſciunt habere modũ neque vnquam ſatietatem ſentiunt, ſed ad nouos ſemper cibos, & ciborum condimenta inuolant, & quaſi præcipites impetu gulæ feruntur. Hinc animi ægritudines, incontinentiæ, luxus, ſocordiæ, oſcitantiæ, atque corporis morbi, podagræ, paralypſis, cruditatis, ſenſuumq. omnium hebetudinis, & debilitatis. Quod ſi quos ſobrietas, & abſtinentia decet, maxime Reges, & Principes, ex quorũ intemperie lues quædam contingit toti Reipublicæ, ſicut ex continentia ſalus: Væ tibi terra (inquit ſcriptura) cuius Rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt. Beata terra cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & nõ ad luxuriam. Intemperantes namque in cibis argumentum eſt in plerique alijs rebus, quæ ad publicum bonum ſpectant incontinẽtes eos fore, peſſimeq. conſiliari, & adminiſtrare Rempubl. Modicus igitur, ac temperatus cibus, & carni, & animæ vtilis eſt: vt recte ex Homero dixerit Ariſtoteles.

Eccleſiaſt. x.

Ariſto l. 3. ſecret ſumptũ ex Homero.

Sume cibum modice, modico natura fouetur,
Sic mentem reſice, mens vt ieiunia ſeruet.

Ex his, quæ multa diximus, conſtare poteſt nihil ieiunio potentius ad bonam valetudinem conſeruandam, vitamq. diutius producendam, morboſq. infeſtos expellendum, & Chriſtiano homini non ſolum tanquam antidotum mentis, ſed tanquam corporis etiã incolumitati conducens, complectendum fore. Corpulentiores nãque, & pulchriores quatuor illi adoleſcentes ingenui viſi Daniel, Ananias, Azarias, Miſael, quos olera, & aqua, quam alij, quos cibi Regij, & generoſa vina nutrierunt. Et vt finem imponamus, Horatij Poetæ ethnici teſtimonium in hac re præclarum inducendum duximus.

Daniel. 1.

Horat. ſatyr. 2. lib. 2.

Accipe nunc victus tenuis quæ, quantaq. ſecum
Adferat: in primis valeas bene. Nam variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit: at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoq. tumultum
Lenta feret pituita. Vides vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? Quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs animum quoque prægrauat vnà,

Atque

Atque adfigit humo, diuinæ particulam auræ:
Alter, vbi dicto citius curata ſopori
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.

Nunc demum diuerſarum gentium ieiunia proponamus.

DE IEIVNIIS HEBRAEORVM.

HEbræos quatuor dumtaxat quotannis ieiunij dies obſeruaſſe ſub præcepto diximus; vnum à Deo imperatum, cum generalis expiatio fiebat; tres alios eadem religione ob iuſtas cauſas temporum decurſu ſuſceptos. Imminente præterea bello, aut cum eſſet prælium aliquod cum hoſtibus conferendum, vel ab eiſdem oppreſſi, vel obſeſſi forent, vel in magnis alijs anguſtijs conſtituti, publica indici cõſueuerũt ieiunia. Fuere olim, vt & nunc etiam illis ſunt priuata quædam pro arbitratu cuiuſq. ſuſcepta ieiunia, quæ ſecũda, & quinta Sabbathi, hoc eſt feria nobis ſecũda, & quinta, celebrari ab ipſis conſueuerunt. Vocant autem primam, ſecundam, tertiam, quartam, quintam, & ſextam Sabbathi, aut Sabbathorum, dies hebdomadæ, quos nos Dominicum, feriam ſecundam, tertiam, quartam, quintam, & ſextam nuncupamus. Sabbathi namque nomen vtriſque, Hebræis, & Chriſtianis eſt commune. Qui autem ab illis prima Sabbathi, à nobis feria prima, deinde Dominica, vel Dominicus dictus, ob Chriſti glorioſã Reſurrectionẽ. Nã illæ, quas ethnici ſingulis ſeptimanæ diebus appellationes indiderunt, Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni, profana, & gentilitia nomina exiſtunt, & ſi à ſecularibus, neutiquam tamẽ in ſacris rationibus, & ſupputationibus vſurpata. Porro Sabbathum non ſolum ſeptimum diem hebdomadæ, qui Hebræis ſumma religione colebatur, ſed totam integram illis hebdomadam ſignificabat. Vnde Phariſęus ille glorioſus, ac iactabundus, bis in Sabbatho, ideſt, in qualibet ſeptimana, feria ſecunda, & quinta ieiunare ſe aiebat: Cuius arrogantiam Chriſtus damnauit. *Lucæ 18.* Inchoant Hebręi ſua ieiunia initio noctis pręcedentis, & abſoluunt poſt Solis occaſum diei ſequentis: Ita vt vigintiquatuor horarum ſpatio, nec famem cibo aliquo ſedare, nec ſitim potionis vllo genere depellere liceat. Veruntamen ieiunium delectus ciborum non ſequitur, ſed carnibus, aut piſcibus promiſcue veſcuntur, præterquam lege interdictis.

DE IEIVNIIS GRAECORVM.

GRæci in perferenda inedia, & ſiti vigintiquatuor horarum ſpatio in ſuis ieiunijs cum Hebræis conueniunt, in reliquo ſeue-

ſeueriores,adiecto ciborum delectu,exiſtunt,quem religioſiſſime obſeruant,nihil in Quadrageſima ſuis menſis præter panem,& olera,aut legumina inferentes,aut pro ſummis delitijs paruos piſciculos,& eos quidem exangues: nam ſanguine præditis per id tempus haud veſcuntur.Sunt autem exangues inter piſces,locuſtæ,cãcri,cammari,ſquillæ, oſtrea,cochleæ, & alij ſimiles, quibus pro eſcis vtuntur.Pręter Quadrageſimam Græci duos in qualibet hebdomada dies,feriam quartam,& ſextam ieiunio celebrant;quod altera fuerit damnatus,altera Chriſtus occiſus.Monachi præterea perpetuo carnibus abſtinent,atque etiam Epiſcopi, qui aut ex Monachis aſſumpti, vel monachatum profiteri ante ordinationẽ Epiſcopatus tenentur,& habitum monachalem induere. Ieiunia autẽ, quæ Latini vigilias vocant,ij non receperunt . Sabbathum præterea lætum agunt,& veluti Dominicum feſtiuum celebrant, neque licet eis tunc ieiunare,carnibus enim eo die ſemper veſci licet,prę terquam in Sabbathis,quæ intra Quadrageſimam incidunt,quibus licet piſcibus,& oleribus vtantur,non tamen in eis ieiunant. Quatuor vero temporum ieiunia, ſicut & Quadrageſimæ tranſigunt. Ante Natalem Monachi etiam abſtinentiæ normam obſeruant,iuxta S.Baſilij præſcriptum,quod ſectantur.

DE IEIVNIIS AETHIOPVM, *ſub Chriſtiano degentium Imperatore.*

INcolæ magnæ Æthiopię ſub Ægypto,qui dominio potentiſſimi Imperatoris ſubſunt,quem popularitur Preciolum,aut Presbyterum Ioannem,perperam tamen, vocamus ; ieiuniorum ſunt obſeruantiſſimi,atque tolerantiſſimi, etiam cum monachi , tum clerici ſeculares,& laici.Quartam enim , & ſextam feriam in memoriam damnationis,& crucifixionis Chriſti,vſque ad occaſum Solis ieiunio ſub præcepto obſeruant . Decem dies in ieiunij obſeruantia noſtram Quadrageſimam præueniunt,à feria ſecunda poſt Dominicam Sexageſimæ abſtinentiam inchoantes, & quinquaginta dies pro quadraginta perſoluentes. Dicuntq. compenſationem eſſe Sabbathorum,quæ intra Quadrageſimam occurrunt ,quæ citra ieiunium prætereuntur . Obſeruatur Quadrageſimæ ieiunium à clericis ſæcularibus,regularibus,laicis,viris,fæminis, paruulis , & adultis,ſanis & infirmis,ſolo cibo panis,& aquæ potu , quam religioſiſſime,vſque ad noctis initium refectionem differentibus . Poſt feſtum autem Trinitatis,clerici,tam ſæculares,quam regulares,tenentur ieiunare vſque ad Natalem Domini , exceptis Sabbathis, & Dominicis; laici solũ quarta,& ſexta feria ſingulis hebdomadis.

Tres

Tres præterea dies, qui purificationem B. Mariæ Virginis ſequuntur, niſi Sabbathum, aut Dominica interceſſerit, triduanum agunt ieiunium, pænitentia Niniuitarum nuncupatum, & id quidem publicum, & ſolemne, in quo Monachi olera edunt, abſque pane, fœminæ ſemel quotidie infantes lactant. Ieiunia autem Quadrageſimæ, quartæ, & ſextæ feriæ ab Apoſtolorum traditione ſuſcepiſſe memorant, quorum ſynodos, & canones octo libris apud ſe habere profitentur, quos omnes dicti Apoſtoli Hieroſolymis congregati ſcripſerunt: quos ipſi Manda, atque Abethilis vocant, vt ex Ioannis Soarij Patriarchæ, Franciſci Lopez presbyteri itinerarijs Æthiopiæ, & Damiani à Goes equitis Luſitani de fide, religione, moribusque Æthiopum opuſculo, & Legatorum narrationibus, quos Imperator Æthiopiæ Dauid ad Clementem ſeptimum, & Manuelem Portugalliæ Regem miſit.

DE IEIVNIIS AGARENORVM.

MAhometus pſeudopropheta Arabs, magnus impoſtor, peſſimusque hominum dementator, ieiunia etiam ſectatoribus ſuis impoſuit, vt velamen aliquod turpiſſime legi ſanctitatis, & religionis, quaſi vmbram inter tot nefaria præcepta intexeret. Inſtituit namque obſeruantiam Quadrageſimæ, quæ dierum numero cum Chriſtianorum ferme, abſtinendi modo cum Hebræorũ omnino ieiunijs conuenit. Vnum namque menſem, & vnam præterea hebdomadam complectitur; quam ſingulis quibusque annis, non tamen iiſdem menſibus obſeruant. Ita vt ſi vno anno Ianuarium, ſequenti Februarium, mox Martium, & continua ſerie reliquos Quadrageſimali in obſeruantia habeant: ſic fit, vt duodecim annorum decurſu annum cum duodecim adiectis hebdomadis loco decimarum Deo ſe offerre dicant. Ita variant, nec certa lege tenentur. Dies ieiunij totos abſque cibo, aut potu vllo ad Solis vſque occaſum tranſigunt, neque edunt, niſi viſa primum aliqua ſtella ſi cælum ſit ſerenum, ſin minus ex coniectura agunt. Tuncque omnia illis edere licet, præter ſuffocatum, & porcinas carnes. Quadrageſima abſoluta, Paſcha celebrant, Bairam eorum lingua vocatum, triduana celebritate adhibita, vngues manuum, & pedum, ac iubas, & caudas equorum rutilo colore, ex Cypri decocto tingentes in lætitiæ ſignum, non ex liguſtri, vt quidam medicorum perperã ſcripſere: Hiſpani voce ab Arabibus mutuata Alhennam vocant. Cæterum Mahometanis feria ſexta ſumma in-

veneratione, & celebritate habetur, & ſuperſtitioſe, potius quam religioſe ab eis colitur, cum ad ſua fana eo die concurrant, & laudes primum Deo, deinde Mahometo perſoluant. Vini autem vſus perpetuo fuit illis à ſuo ſeductore interdictus, ſicut, & carnes porcinæ; Verum opulentiores fraudem commenti, ſtillatitium vinum, quod nos aquam vitæ appellamus, bibunt ad calefaciendum, & inebriandum multo potentius, quam ſimplex fuerat vinum, atque inſtitutum ſui magiſtri eludunt.

DE IEIVNIIS SCYTARVM, SEV *Tartarorum*.

Haithon. Armen. de Tartaris c. ij.

SCythæ, qui partim Europæ; partim Aſiæ incolunt regiones, & Tartari populariter vocantur, quantumcumque immanes, & feri, religione ieiuniorum tenentur. In regno namque, vel prouincia Varſæ habitantes, à carnibus abſtinent, & vinum bibere pro crimine ducunt, ſicut, & Mahometani. Viuentibus vix ad eſum vtuntur. Et Tartari vniuerſi tres quotannis feſtiuitates celebrãt, Primam oblationis Paſcha nuncupatam, ob memoriam oblationis Iſaac, quem Abraham multorum gentium pater, victimam Deo in benti ſacrificare voluit: tuncque offerunt arietes, & aues multas. Eſt & illis alia feſtiuitas, quam agunt pro animabus defunctorum: & tunc viſitant ſuorum maiorum ſepulchra, operibus miſericordiæ vacant, & pauperes alunt. Tertiam feſtiuitatem pro ſe, ipſorumque incolumitate obſeruant. Primæ feſtiuitatis gratia rite celebrandæ, diebus triginta ieiunant. Ante alteram, menſe vno abſtinent. Tertiæ ergo, duodecim dies ieiunij ſoluunt. Atque ita fit, vt quotannis ſeptuaginta duobus diebus abſtineant.

Matthias à Michoun de Sarm. Aſianæ c. v.

DE IEIVNIIS ARMENORVM.

ARmeni ſua etiam peculiaria ieiunia inſtituerunt: Sabbathis tamen, Dominicisq. magnæ, & ſanctæ Quadrageſimæ lacte, caſeo, & ouis veſcebantur. Et id, quod Arziburi dicitur ieiunium paulo ante eum diem, quo carnium eſus interdicitur, obſeruabant. Quamquam Nicephorus non generatim ad omnes Armenos, ſed ad Chazinzarios hæreticos ex Armenorum gente ortos temporibus Conſtantini 3. Heraclij filij, & Theodori Papæ circa annos Domini 640. eam ſuperſtitioſiſſimi ieiunij obſeruãtiam referat. Apud hæreticos namque Chazinzarios iſtos Sergius quidam vixit, doctrinæ fama commendatus, qui in delitijs canem habuit, qui hero ſolebat occurrere, & populum aduentus, vt continuo ad illum excipien-

Niceph l. 18. cap. lvij.

cipien-

cipiendum prodiret, admonere: Canem lupus deuorauit. Quam rem Sergius ægerrime ferens, Armenis ſtatis diebus ieiunium quot annis ſeruandum indixit, quibus canis mortem lugerent: Appellationem ipſe ieiunij, Arziburũ, ex ipſius canis nomine mutuatus.

DE ALIARVM GENTIVM, ET *hæreticorum ieiunijs.*

ROmani ieiunia Cereri (vt ſuperius diximus) feruntur inſtituiſſe M. Acilio Glabrione, P. Cornelio Scipione Coſs. poſt victum Antiochum Syriæ regem. Ægyptiorum Sacerdotes carnibus, & vino abſtinebant, paneque raro veſcebantur, ne ventrem onerarent, ineptioresq. diſciplinarum, & rerum ſacrarum contemplationi ſe redderent. Oleo olera, atque legumina condiebãt, lac, & oua vitabant. Indorum Gymnoſophiſtę farina ſolum, & pomis alebantur. Perſarum magi nihil cibi præter farinam, & olera deguſtabant. Noui orbis incolæ ante fidem Chriſti nuper ſuſceptam, ſua vt ſacrificia, ita ieiunia habuere. Indi citra, & vltra Gangem, & Indum fluuios, & Synarum regionum vaſtiſsimarum incolæ, tam Sacerdotes, quam Laici, ſpeciatim publica, & priuata ieiunia obſeruant. Nulla demum natio adeo eſt barbara, inculta, & in finibus, & angulis orbis ſemota, quin ieiuniorum religione tangatur, & aliquot diebus intra anni circulum abſtinentijs ſe conſecrarit, peculiaribusq. ieiuniorum obſeruantijs addixerit. Fuerunt ſua etiam ieiunia hæreticis quæ peculiariter citra catholicorum conſuetas abſtinentias obſeruabant. Montanus namque, Priſca, & Maximilla ſtatim poſt Pentecoſtem nouam aliam Quadrageſimam inchoabant, ex illo teſtimonio Chriſti inducti: Non poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu eſt cum illis ſponſus: Auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt: Sponſus Chriſtus, ſponſa Eccleſia eſt. De hoc ſancto ſpirituali connubio Apoſtoli ſunt procreati, qui lugere non poſſunt quamdiu ſponſam in thalamo vidẽt & ſciunt ſponſum eſſe cum ſponſa: Quando vero tranſierint nuptię & paſsionis, ac reſurrectionis tempus aduenerit, tunc ſponſi filij ieiunabunt. Putant igitur iccirco poſt dies quadraginta paſſionis ieiunia debere committi: & non vident ſtatim dies Pentecoſtes, & Spiritus ſancti aduenire feſtiuitatem nobis indicantes, & Eccleſiã per omnes illas ferias omnino relaxare ieiunia. Aduerſus quos Hieronymus ſcribens, vnam ſe ait Quadrageſimam non plures agnoſcere: & Quadrageſimam, quartam, & ſextam feriam Chriſtianorum eſſe ieiunia conſtituta. Quare pudere debuiſſent Catholici, numero, & ſeueritatę ieiuniorum, non ſolum à gentilibus

Matth. 9.

Hieron. in 9. c. Matth.

Hier. ad Galat. lib. 2.

verum ab hæreticis ſuperari; cum illorum vana, noſtra tamen ſint fructuoſa ieiunia. Nam, vt ait S. Leo Papa, Iudæi, & hæretici ſæpe ab edendi libertate ſe continent; & apud ipſos paganos ſunt quædam vana ieiunia. Aliud enim agit ſub veritate ratio, aliud ſub falſitate deceptio: apud nos fides ſanctificat etiam manducantem, apud illos infidelitas polluit ieiunantem. Vnde, quia extra Eccleſiam Catholicam nihil eſt integrum, nihil caſtum, dicente Apoſto-
Roman. 14. lo: Quod non eſt ex fide peccatum eſt, fit, vt ſi ieiunia præceptis ſuorum errorum innitantur, peccata ea eſſe, non bona.

HAERETICORVM PLACITA CONTRA IEIVNIA, & illorum impugnatio.

Hæretici non tam orationi, & eleemoſynæ, quam ieiunio infeſti, & hoſtes fuerunt. Montanus namque, qui vixit temporibus Soteris Papæ, & Commodi Imperatoris, circa annos Domini 181. nouorum ieiuniorum (vt retulimus) præter Eccleſiæ conſuetudinem auctor fuit. Ponebat enim legem ieiuniorum pro mentis cuiuſque arbitrio, & voluntate ſtatuendi. Arrius autem, ante 1200 annos negabat ſe ieiunaturum cum Eccleſia, ſed proprio cuiuſque arbitrio, & voluntate id fieri oportere, vt non ſub lege, ſed ſub gratia eſſe viderentur: ita quod ſi animus erat alicuius ieiunare, diem à ſeipſo eligebat, & ieiunare dicebat ob libertatem. Iouinianus deinde Romanus Monachus tempore Siricij Papæ, & Theodoſij ſecundi Imperatoris, annos circiter D. 395. aduerſus quem ſpeciatim Hieronymus, & Auguſtinus ſcripſerunt, aſſeruit quoſcumque cibos quolibet etiam die ſine vllo delectu, ac diſcrimine omnibus licere, quantumcunque per Eccleſiaſticas ſanctiones fuiſſent prohibiti: aſſerebatque ieiunium nullius eſſe meriti apud Deum: & in cuius erroris confirmationem teſtimonium illud Pauli male intellectum inducebat: Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt. Pauperes de Lugduno tempore Alexandri 3. PP. & Friderici primi Imperatoris annos circiter 1160. in eundum ſcopulum impegerunt. In Quadrageſima carnibus, & ouis, reliquisque prohibitis veſci nullum eſſe peccatum aſſerentes; imo in eo abſtinentiæ genere nullum ſubeſſe meritum: Eccleſiamque non poſſe talem ciborum delectum, aut ſimilem abſtinentiam cuiquam præcipere. Euſtathius Sebaſtienſis Epiſcopus, tempore Sancti Syluestri Papæ, & Conſtantini Magni Imperatoris, annos circa 320. diebus potius Dominicis, quam alijs ieiunandum eſſe docuit. At ſectarij noſtri temporis, omnibus iſtis nequiores, perditiſſimum, atque peſtilen-

Hier. in Iou. Aug. l. de hæreſib. ad quod vult Deum c. 82.

1. Timoth. 4.

ſilentiſſimum hominũ genus gulæ,& omni voluptati addictiſsimũ ventris mancipia: vt à multis diuinis, & ſanctis Eccleſiæ Catholicæ Romanæ inſtitutis, ita à ieiunijs defecerunt; contra rationem & contra Scripturam ieiunia indici,& præcipi dicentes,inuentum eſſe humanum,muliercularumq. ſuperſtitiones, certiſq. diebus ieiunare eſſe cultum dæmoniorum; neque ieiunium Chriſtũ inſtituiſſe Quadrageſimale,nec ipſius quadraginta dierum ieiunio exemplum dediſſe ieiunandi,immo neminem teneri famem ſufferre ob ieiunium,eo quod hac quiſque occaſione ſuam vitam imminueret, liberaq. tandem eſſe volunt non modo totius anni ieiunia; ſed & Quadrageſimam ipſam,omniumq. ciborum quouis tempore vſũ cuique licere,neque ferendam vllam,ſeu Apoſtolorum,ſeu Conciliorum legem,quæ contrarium ſtatuerit. Hęc, & ſimilia aduerſus ieiunia deblaterant corruptiſſimi,& incontinentiſſimæ vitæ noſtri temporis hæretici,carniſq. voluptatibus,luxui,& gulæ omnino habenas relaxant; poſtquam religioni Catholicę vale dixerunt. Verũ de ieiunio expreſſum mandatum habetur,tam in Propheticis, quã in Euangelicis,& Apoſtolicis litteris. Siquidem Ioel diuinus vates,vt ieiunemus admonuit. *Ioel 1.* Deus ieiunium expiationis in veteri *Leuit.xxxiij.* teſtamento indixit,& in lege Euangelica ieiunandi modum præſcribit,ac,vt orationem,& eleemoſynam iuſtitiæ nomine dignatur *Matth. 6.* præmiumq: pollicetur; Ieiunium ad expellendum genus quoddam dæmoniorum neceſſario fore præmittendum; & Apoſtolos ieiunaturos, *Matth. 17. Marci 9.* poſtquam corporea fuerit ab eis præſentia ſubtractus;& ſatietatem tandem eſurientibus promittit, *Matth. 9. 5. Luca 5.* ieiunijq. obſeruantiam commendat. Laudat S. Scriptura Annam,quæ ieiunijs, & orationibus nocte,& die ſeruiebat in templo. Et Paulus cum à comeſſationibus,& ebrietatibus dehortatur, *Rom. 13.* quid aliud quam ad ieiunium inuitat? Et in Actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes,& die Dominico eundem Paulũ cum alijs fidelibus ieiunaſſe legimus, *Actor. 13. xx. xxvij.* vt Hieronymus atteſtatur. *Hier. ad Lucin. ep. xxviij & habetur di ſtin. 75. c. vtinam* Et idem: Non eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia,& pax,& gaudium in Spiritu Sancto. *Rom. 14.* Et rurſus alibi: Eſca ventri,& venter eſcis; Deus autem & hanc, & has deſtruet. *1. Corinth. 6.* Vbi ab eſcis temperandum immodicis, abſtinentiamq. ſectandam aperte docet,vt & in multis alijs pleriſq. locis demonſtrauimus. Dominus per Eſaiam Iudæorum,& in Euangelio Phariſæorum ieiunia,non *Eſaie . Matth 6.* carpit,non quod ieiunia negligat,ſed abuſus in ijs ſumme ipſi diſpliceant,cum ob inanem gloriam,& auram popularem captandã, *Matth. 4.* & populum ea ſimulatione, & hypocriſi decipiendum fierent, & peccata,ſceleraque diebus ieiunij cumularent,eaque ieiunij obſeruantia,& vmbra,cõmittenda,& impune patranda fore cenſerẽt. Et cũ omnis Chriſti actio noſtra fuerit inſtructio,non dubium quin

ieiunium ab eo quadraginta diebus, & noctibus ſuſceptum; in no-
ſtram eruditionem, & exercitium ceſſerit, & veluti hæredita-
rium ab ipſo nobis relictum. Quadragenarius namque nume-
rus conuenit peccatoribus, & ieiunio, ac orationi, atque ſacco,
& lacrymis, atque perſeuerantiæ deprecandi. Cuius numeri
myſterium ſignificatum eſt in ieiunio quadraginta dierum,
Exod. xxxiv. & noctium, quibus Moyſes bis, & Helias ſemel ieiunauerunt: Eo-
3. Reg. 9. dem myſterio quadraginta annis populus in ſolitudine manet, &
Numeri xiv. per multos labores vexatus, & probatus terram promiſſionis in-
Daniel iv. greditur. Ezechiel quadraginta diebus pro tribu Iuda dormit in
Geneſ. 7. 15. dextro latere: & quadringentis annis populus Iudæorum in Ægy-
pto ſeruit: pluuiæ quoque diluuij quadraginta diebus inferunt or-
bi naufragium, & Dominus atque Saluator noſter ſecundum aſſum-
pti corporis fragilitatem ieiunio perdurante tentatur in ſolitu-
dine, vt poſt victoriam accedant Angeli, & miniſtrent ei: vt
nos ijſdem armis muniret ad tentationes ſuperandas, & Ange-
lorum ſanctorum miniſterium, & conſortium promerendum.
Quod ſi obijciant nobis hæretici reprehendi grauiſſime Ga-
Galat. iv. latas a Paulo, quod dies obſeruarent, & menſes, & tempora,
& annos, quod & nos facimus in ieiunijs, dum ſtatis tem-
poribus, & diebus, & menſibus tam Quadrageſimam, quam
Hieron. in 4. ad Galat. vigilias, & quatuor temporum ieiunia celebramus: Hierony-
mus huic obiectioni reſpondet, Galatas increpari, quod dies
Iudæorum in obſeruatione haberent, non quod Chriſtianorum.
S. Thomas iv. ad Gal. le. iv. Verum S. Thomas hoc refert ad obſeruationes aſtrologicas, quas
cũ Chriſti fide nondũ exuerant, ſed adhuc eam vanitatẽ, & ſuperſti-
tionẽ Galathæ retinebant, fidẽ adhibentes huiuſmodi prædictioni-
bus, & dies eſſe fauſtos, & infauſtos, & menſes, & tempora, ad actus
humanos exercendos, qui ex libero arbitrio pendent, quod aſtris
non ſubeſt, neque directam habent vllam impreſſionem in noſtram
voluntatem. Deque ijs obſeruationibus, & iudicijs Paulum ibi cla-
riſſime apparet loquutum. Obijcient ſecundo illud Pauli ad Timo-
theum: Exerce te ipſum ad pietatem; nam corporalis exercitatio
ad modicum vtilis eſt: Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſ-
ſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Satisfactionem acci-
piant ſui maligni ſenſus interpretationem, qua retundamus. Am-
broſius illum locum ſic interpretatur: Exercitium corporale ad
modicum vtile eſſe, ieiunare enim, & abſtinere a cibis monente au-
ctoritate Creatoris, non multum prodeſſe, niſi addatur, & huic
pietas, cuius opera multorum precibus adiuuatur ad Dominum
promerendum. Doctiſſime vt ſolet, S. Thomas etiam illum locum
explicauit. Corporalis, inquiens, exercitatio ieiunij, & huiuſmodi,

in ſua

in ſua natura non ſunt bona, ſed pœnalia, & ſi homo non peccaſſet, nihil horum fuiſſet, ſed ſunt bona medicinalia: ſicut enim Rhabarbarum eſt bonum inquantum releuat a cholera, ſic & iſta inquantum comprimunt concupiſcentias: ergo ad iſtud modicum ſunt vtilia: Et ideo ſi homo eſſet in ſtatu, in quo non poſſet peccare, non indigeret ieiunio. Ad modicum igitur hæc medicina vtilis eſt; quia tantum ad morbum peccati carnalis, non ſpiritualis, quia aliquando propter abſtinentiam, homo iracundiam, inanem gloriam, & huiuſmodi incurrit. Præfert autem Apoſtolus pietatem, ſiue pro cultu Dei, ſiue pro miſericordia ſumatur; quia non ſolum ad peccata delenda, ſed ad promouendum ad bonum, & Dei miſericordiam peculiariter promerendam vtiliſſima eſt. In præceptis namque decalogi unũ ſolum, quod ad pietatem ſpectet, deprehenditur, nempe honorare patrem, & matrem, atque ſub illo continentur omnia præcepta, ad quodcunque proximo beneficium impendendum. Quod inter alia dumtaxat præcepta, quæ proximum concernunt promiſſionem debet: vt ſis longæus ſuper terram. Et Apoſtolus quidem hoc loco, longæuum interpretatur ſecundum præſentem vitam, & futuram, quia qui pietatis beneficia pauperibus impendit, & in pręſenti dat ei Deus; vnde temporaliter viuat, & diutius viuat, & in futuro vitam æternam. Sed numquid corporalis exercitatio non habet ſpem? alias ieiunans nõ mereretur vitã æternam: Habet quidem vitam æternam, verum per charitatem, & miſericordiam: quando enim duæ virtutes concurrunt, vnaque continet aliam, illud quod eſt ſuperioris virtutis per ſe competit peraccidens inferiori, virtus autem competit per ſe mereri vitam æternam, eſt charitas, cuius proprius: & immediatus effectus eſt pietas, et ideo ſecundum propriam rationem attingit ad merendam vitam æternam; Abſtinentia autem non niſi in quantum ordinatur ad charitatem, & pietatem, quia ſi ieiunans, non refert hoc ad dilectionem Dei, non meretur vitam æternam. Sunt Chryſoſtomus, & Theophylactus, qui hunc locum Pauli non de ieiunio intelligunt, ſed de alijs corporeis exercitationibus; quod illud ſpirituale, non corporale eſſe cenſeant, Verum Ambroſij, & Thomæ ſententia ſufficit ad obiecta hæreticorum diluenda, quibus nihil præter voluptates placet, ijsq. aſſueti obfirmato animo in ſuis erroribus perſeuerant, quouſque Deus ſua immenſa benignitate, in viam veritatis reducat, denſiſſimiſque ſuis tenebris cæleſti ſplendore occurrat. Cum igitur ieiunium a Chriſto Saluatore noſtro hæreditarium habeamus, ab Apoſtolis indictum, ab Eccleſia toties conſecratum, a fidelibus cultum, a monachis tantopere frequẽtatum: idque neceſſario ad carnis petulantiam edomandam, ſatisfa-

S. Thomas 1. Tim. iv. le. 2.

Ieiunium ſecundum ſe, multum valet, ſed ad pietatem collatum modicũ, ſicut equus ſecundũ ſe multum valet, ſed Leoni cõparatus modicum.

ctionem

ctionemq. pro peccatis exſoluendam aſſumatur: ad defunctorum præterea ſubſidium, dæmonumque quoddam genus expellendum & ad quamlibet magni momenti rem inchoandam, terrores bellicos, diſcrimina præliorum, obſidiones vrbium, & calamitates quaslibet imminentes, Dei iram auertendam, eiusque clementiam & opem implorandam vnicum, & ſalutare ſoleat eſſe remedium, nos maiorum veſtigia ſectati, ſanctam ieiuniorum obſeruantiam, præſertim aduentus complectamur.

Hæc (candide Lector) de ieiunijs priſcis, eorum origine, obſeruãtia, & ritu mihi occurrerunt dicenda, quę in hunc commentarium, vel librum contraherem, breuiſsimo quadraginta ſex dierum ſpatio, quo ei ſtudio incubui, abſoluta, negotijs in alijs diſtractus nõ potui, vt optaueram, tempeſtiuius expedire, & multorum votis ſatis facere. Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, ingenioli nempe mei immaturos fructus, hos & ruſticos, libentiſsime offero; qui non poterunt non tibi eſſe iucundi; atque ſuaues quod in hortis ieiunij maturuerint, & ſanctis ibi meditationibus irrigati, ſaporeque religionis conditi.

FINIS.